

7

11

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULUM XV.

GALEOTTUS MARTIUS  
INVECTIVAE  
IN FRANCISCUM PHILELPHUM

EDIDIT  
LADISLAUS JUHÁSZ



MCMXXXII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULUM XV.

GALEOTTUS MARTIUS

INVECTIVAE  
IN FRANCISCUM PHILELPHUM

EDIDIT  
LADISLAUS JUHÁSZ



MCMXXXII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

---

EXCUDEBAT GEORGIUS ABLAKA, SZEGED (HUNGARIA)

## INTRODUCTIO.

### *I. De vita operibusque Galeotti Martii.<sup>1</sup>*

*Vita.* Galeottum Martium Narniæ in oppido Umbriæ e gente vetere anno 1427. esse natum credimus. De parentibus eius paulum scimus, ubi didicerit elementa, nescimus. Ferme vicesimum annum agens Ferrariæ in schola Guarini Veronensis una cum Iano (Ioanne) Pannonio celeberrimo poeta, postea episcopo Quinqueecclesiarum (in Hungaria) didicit. Anno 1450. Romam proficiscitur et eodem anno Patavii docuit et medicinae discendæ operam dedit. Ianus Pannonius a. 1458. in Hungariam reversus eum invitationi a. 1461. satisfaciendam ad se invitavit. Budæ in aula regis Mathiæ Corvini complures Hungaros (inter quos imprimis Ioannes Vitez de Zredna episcopus Varadiensis, postea archiepiscopus Strigoniensis memorandus est) cognovit. In Hungaria autem paulum temporis commoratur, revertitur in Italiam, mox Hispaniam et Galliam et Britanniam visitat. Anno 1463. iam denuo Patavii invenimus, mox (1464.) Bononiæ, ubi ferme annum docuit, quo anno (1464.) in Franciscum Philelphum duas invectivas de Sfortiade scripsit. Eodem anno a Iano Pannonio iterum in Hungariam vocatur et fortasse a. 1465., cum esset Ianus legatus in Italiam missus, in Hungariam ab eo deducitur. In Hungaria scriptus esse liber, qui est *De homine*, habetur, quo provocavit Georgium Merulam. Anno 1472., cum coniuratio a Ioanne Vitez et Iano Pannonio contra Mathiam regem facta supprimitur, Hungariam reliquisse videtur. Usque ad annum 1476. iterum Bononiæ docet. Paene certum habemus librum *De incognitis* vulgo scriptum eum a. 1477. composuisse, propter quem Venetiis ab inquisitoribus in carcerem conicitur et solum Laurentio de Medicibus et Mathia Corvino adiuvantibus iterum liber esse potuit a. 1478., a quo anno usque ad annum 1480. amicitia Mathiæ regis utebatur ei dedicans editionem alteram libri *De incognitis* vulgo scripti. Tunc in Italiam proficiscitur, sed a. 1482. quartum in Hungaria invenitur. Nescimus, quot annos tunc apud Mathiam regem remanserit, cuius in aula circa annos 1484—86. scripsit opusculum, quod *De egregie, sapienter et iocose dictis ac factis regis Mathiæ* inscribitur Ioanni Corvino regis filio dedicatum. Anno 1489. Laurentio de Medicibus opus *De promiscua doctrina* compositum dedicavit, quo igitur anno iam denuo in Italia moratur. Anno 1492. in Gallia invenimus; eodem enim anno Carolo VIII. regi librum, qui *De*

---

<sup>1</sup> Vitam Galeotti Martii copiose scripsit E. Abel, *Analecta ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia*. Budapestini—Lipsiæ, 1880., p. 229—94. (Hungarice.) — *Idem*, Galeotto Marzio, *Ungarische Revue*. Budapest, 1881., p. 29—42. (Epitome ex superius memorato opere Germanice composita.)

excellētibꝫ inscribitur, dedicat. De ultimis vitæ annis paene nihil certi habetur, cum fides habeatur; sunt, qui dicant eum anno 1497. in Bohemia mortuum esse, alii Montanianæ, alii Lugundi, alii aliis annis.

*Opera.* Carmina. — Chiromantia. — De egregie, sapienter et iocose dictis ac factis regis Mathiæ. — De homine libri duo. — De incognitis vulgo. — De promiscua doctrina. — Epistolæ. — Invectivæ in Franciscum Philelphum. — Liber excellentium sive de excellentibus. — Refutatio in Merulam.

## II. De codice invectivarum.

V — Roma. Bibl. Vaticana. — Vat. Lat. 3411. Saec. XV., chart., 8-o. — Quem codicem ipse Galeottus Petro Riario cardinali dedicavit. — Codice continentur: Dedicatio (1r—4r), Invectiva I. Galeotti (12r—17v), Invectiva Francisci Philelphi contra Galeottum Martium scripta<sup>2</sup> (17v—34v), Invectiva II. Galeotti (38r—75r).

*Scriptura codicis.* Scripsimus *ae* (pro *e*) *saepenumero* - *ae* (oe): paene - *bt* (pt): obticescere - *c* (ce): Acilius, acquiescere (acc-), bucolicus - *c* (t): condicio, convicium, iudicium, socius, species *ch* (c): charta (cartha), distichum, tribrachus *cch* (ch): antibacchius - *cq* (dq): acquirere - *e* (ae): eloquium, vale *e* (i): semiseptenarius (-ti-), Vergilius *e* (oe): acceptus, effectus, fecundus - *g* (gg): aggregare - *h* (-): anhelitus - *i* (y): cithera, Homeromastix, satira, sidus *l* (ll): balneum, colossus, galeare, garrulitas, humilis, Ilium, proceleumaticus, similis *ll* (l): Sallustius - *mm* (m): commodare, communis, scomma - *mm* (nm): *exempli gr.*: immensus - *mn* (nn): damnosus - *mp* (np): *exempli gr.*: impedire - *n* (m): tentare - *n* (nn): continentia (-tinn-) *oe* (ae, e): *saepe* - *p* (pp): Apollonius *pp* (dp): apparere, approbare *ppr* (br): opprobium - *qu* (c): sequentur *rh* (r): Rhodopeius - *rr* (r): garrulitas - *rrh* (r): pyrrhius — *rt* (rct): artus - *sc* (sch): perisceles - *st* (bst): sustentare *t* (c): Domitianus, infitari, Martianus, nuntiare, otium, potius, Staius, vitium, - *t* (ct): Vitruvius - *t* (th): charta (cartha), epitaphium, Proteus - *t* (tt): Britannicus, litus - *th* (t): Athesis, Boethius, phthongus, thynnus - *tt* (ct): mittere - *y* (i): bombycina, Cyprianus, Hymenaeus, Hyrcanus, Lydius, Lysippus, Odyssea, Pythagoras, Smyrnaeus, Thucydides *Reliquimus h*: aspiratio (ha-), Horatius (Or-), hortari (or-), onus (ho-).

<sup>2</sup> Invectiva hoc libro edita est: Francisci Philelphi viri Graecæ et Latine eruditissimi epistolarum familiarium libri XXXVII. ex eius exemplari transumpti, ex quibus ultimi XXI. novissime reperti fuere et impressorie traditi officine. (Venetiis, 1502.) Invectiva Philelphi (epistola ad Albertum Parrhisium scripta): ep. I. libri XXIV. (162r—165r).

GALEOTTUS MARTIUS  
INVECTIVAE IN FRANCISCUM PHILELPHUM.

DEDICATIO

*Galeotti Martii Narniensis epistola ad reverendissimum  
in Christo patrem ac dominum Petrum cardinalem titulo  
Sancti Xisti ac legatum summi pontificis.*

Cum diu cogitavissem, cuinam libellum hunc donarem, 1  
tandem mihi R. P. tua visa est omnibus aptior et magis  
idonea. Huius enim voluminis ea conditio est, ut non passim 2  
vulgoque dicetur; expostulat enim virum tam potestate, quam  
doctrina praecipuum. Nam quis sententiam feret victorem- 3  
que declarabit, nisi potestate praecellens? Et quis litterarum  
certamen internoscet, nisi fuerit disciplina et litteris orna-  
tior? Continet autem hic codex Galeotti Martii Narniensis 4  
certamen olim cum Francisco Philelpho habitum. Is enim  
librum de gestis invicti principis et toto orbe primarii Fran-  
cisci Sfortiae non sine maximis praemiis summo labore  
composuit carmine quidem heroico et emendandum iudi-  
candumque post editionem Galeotto tradidit. In quo huius 5  
libro tam in arte poetica, quam in oratoria nec non historiis  
et grammatica plurimum errasse a Galeotto ostenditur. Reve- 6  
rendissima paternitas vestra videbit, Philelphus vero sese  
tuetur et grandi invectiva Galeottum invadit, sed rursus a  
Galeotto expugnatus obticuit. Certamen hoc quidem visu 7  
et auditu iocundum et utile, cessant enim iurgia, sola disci-  
plina certatur, adhibentur tamen scommata, quae oratori sunt  
necessaria et ad refellendum et ad lacesendum. De qua qui- 8  
dem re reverendissima paternitas vestra rectissime iudicabit  
et, cui palmarium deferat, secum ipsa reputabit. Comparatio 9  
enim viros ostendit, non enim eos probamus milites, qui palum  
punctim caesimque lacesendo incursant et qui in simulacro  
pugnae suas ostentant vires, sed qui in vero certamine et vera  
pugna haec factitando victores evaserint; versus componere,  
solutam orationem facere, absque adversario litigare facile et  
proclive est. sed ea a doctorum hominum lima et iudicio  
intacta vindicare sapientis profecto viri et absolutae erudi-  
tionis est. Ex qua quidem re saepe usu evenit, ut, quos doctos 10

aut fortes fama praedicabat, obscuriores verum reddiderit certamen. Te igitur, reverendissime pater, elegi idoneum<sup>11</sup> iudicem, cui volumen ipsum dedicem, qui ingenio acutissimo, doctrina admirabili summaque potestate praecellis, in quo virtus ipsa relucet, nam in rebus excogitandis solertiam, in agendis maturitatem, in ornandis magnificentiam ostendisti ita, ut divina quadam miseratione factum iudicetur te ex parva et privata fortuna ad summum dignitatis culmen evenisse. Latebant profecto, latebant animi tui excellentia bona<sup>12</sup> et tam pontificis imperio, quam fidei maxime necessaria. Sed inter omnia, quae tibi summa contigerunt, hoc imprimis laudabile est. Tu enim doctos viros tanta benivolentia com-<sup>13</sup> plecteris, ut, qui ad hunc usque diem praemii desperatione iacuerint, — nullus enim peritos viros iam dudum respexit, — erigantur exacuunturque, ut aliquid memoria dignum excudant. Stimulat enim eos R. P. tuae continuus favor, beni-<sup>14</sup> volentia fervens et immensa liberalitas et, ut de aliis taceam, de me ipso loquar, cum totam fere Europam lustraverim et multis principibus amicitia iunctus fuerim et diu Mathiae Hungariae regi serviverim, neminem viventem adhuc vidisse memini, quem amore in doctos tecum conferre possim, undique totis usque adeo turbatur agris, si quid autem divitiarum in externis regionibus sibi ipsis docti paraverunt, id magis labore et industria in agendis negotiis, quam favore litterarum consecuti sunt. Nec quenquam improbabo, in medium affe-<sup>15</sup> ram illud Plinii Iunioris; dicit enim, posteaquam desivimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus, sunt enim permulti, qui, cum in luto et in faece quodammodo volutentur virtutis expertes brutorum vitam imitantes doctorum hominum acerrimi hostes cupientes pariter omnes rerum scriptores interire, ut eorum turpis vita et mores perversi silentio transigantur. Sunt, qui sub quadam simulatione<sup>16</sup> contemptores laudis videri volunt, cum maxime gloriam appetant, et hi doctos laudis amore non magnopere curare videntur, ut boni iudicentur et sua conservent, nec quicquam tribuant sub praetextu virtutis celantes avaritiam, sed, qui animo magno sunt cupiuntque agere, quod sciatur et in luce versetur, doctos et eos, qui res gestas memoriae mandant, summa prosequuntur benivolentia, muneribus afficiunt, honoribus cumulant, ut illud Claudiani dici possit:

Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.

Ex quo hoc elicere possumus, ut, qui doctos et carmen diligit,<sup>17</sup> is digna memoratu facit. Nihil enim memoria dignum, nisi quod a virtute proficiscitur; qui igitur doctos amat, virtute est praeditus, contra vero, qui negligit, improbus. Sed te,<sup>18</sup> R. P., omnes uno ore praedicant doctos viros mira benivolentia prosequi, non enim ea fama vulgaris et inconstans est, nam ita

esse maximorum principum rumor affirmat. Reverendissimus<sup>10</sup> enim pater Franciscus de Gonzaga illustrissimo principe genitus, animo magnificus, moribus ornatus, regia maiestate conspicuus, ordine cardinalis tanta de reverendissima paternitate tua mihi praedicavit, ut maiorem rem ipsa fama crediderim. Quod licet ex summa ipsius benivolentia in te manare<sup>20</sup> videatur, tamen is est, ut de uno quoque vera praedicet. Haec est, R. P., vera laus, hoc certum praeconium, hoc viro<sup>21</sup> dignissimum dicente Cicerone, ea est enim profecto iocunda laus, quae ab his proficiscitur, qui ipsa in laude vixerunt. Te laudant oratores, te extollunt poetae, te philosophi admirantur, te principes colunt, te denique reverendissimus pater Franciscus de Gonzaga ordine princeps in honore et laude versatus semper et ubique praedicat. Haec, haec inquam, laus<sup>23</sup> est vera, haec solida gloria, haec fama perpetua. Gratulor<sup>24</sup> temporibus nostris, profecto gratulor, quae tam vigilantem, tam acuti iudicii pontificem sortiuntur, is nanque huiusmodi cardinales creat et creatos extollit, ut in eorum humeris totius pontificatus onera recumbant et his quodammodo sociis atque adiutoribus libenter utatur. Cum igitur, prae-<sup>25</sup>stantissime vir cardinalis titulo sancti Xisti, his moribus ea sis, quam praedicant, munificentia, iure ac merito nostra largimur, non ut magna, sed ut amoris et observantiae pignora daturi etiam maiora, si facultas aderit, haec autem parva, non dubito, quin grato animo accipias imitatus Artaxerxem Persarum regem, qui haustam manibus aquam a quodam muneri transeunti sibi oblatam gratanti animo accepit, cum ille nil haberet aliud, quod regi porrigeret. Libellus<sup>26</sup> noster non forulis ornatus, non crocea membrana scriptus, non pictis umbilicis, non aureis ansulis, non initialibus litteris comptus, haec enim R. P. tua non pensitat, sed charta et litteris aquae regi porrectae speciem ipsa fronte demonstrans, intus vero ea erit conditione, quam R. P. V. suo acutissimo iudicio tribuet.

---



## INVECTIVA I.

*Galeottus Martius Francisco Philelpho salutem.*

His diebus proxime elapsis Albertus Parisius vir litteris, moribus ac auctoritate praeclarus et, ut intelligere videor, utriusque nostrum amicissimus me convenit detulitque ad me Sfortiaden tuam addiditque ex tuis verbis, quod vehementer scire exoptas, quid viri docti de illa sentiant, et id tibi iocundissimum fore, quod verum sincerumque iudicum arbitraberis. quamobrem mirum in modum laetatus sum tum, ut gestorum Francisci Sfortiae principis invictissimi adeo, ut ex antiquis superiores nulli, pauci pares putentur, tum etiam, ut memoriam tui, quae in me iam consenuerat, renovarem. Quis enim non laetaretur, cum magnificas res in magnificentiori momento a magnificentissimo viro positas intueretur. Te enim semper tanquam omnium doctorum memoria nostra principem sum veneratus, nam et carmen et satira et prosae orationes mihi iam dudum perplacuerunt, hoc dumtaxat reliquum erat, ut, quantus in heroico carmine esses, agnoscerem, cum in aliis et gravitate sermonis et varietate sententiarum et Attica eloquentia te primarium iudicarem et, quoniam Albertus Parisius, cuius fidem in negotiis saepe perspexi, me cohortatus est, ut sententiam meam super hac tua Sfortiade afferam, et quamvis ab homine occupatissimo decurso opere non debeat hoc expectari, cum vix comedendi detur otium, et sit Horatii Flacci praeceptum, ne praecipitetur editio nonumque prematur in annum, tamen duxi laudabilius esse iudicio vel tumultuario uti, quam totiens ab amico interpellatus nihil de hac re ad te scribere, et in primis illud non omittendum arbitror, quod omnes, medius fidius, Latini maxime tibi debent.

Apparent enim in opere tuo et vires et nervi cuiusdam vetustatis et, ut relinquam elegantiam dignitatemque orationis et quae in tuo carmine elucescunt, satis mihi linguae Latinae videris consuluisse, cum nomina propria, nam plerumque haec doctorum hominum mentem a scribendo avertunt, partim mutilasti, partim ita Graece et apte dixisti, ut anti-quitatem redolere et novos poetas ad scribendum hortari videantur. Haec mihi digna admiratione visa sunt; nunc,

quæ in opere tuo non præbem, quaeso, aequo animo accipias, sum enim adulationum inimicus acerrimus. In exordio libri te Statii poetæ optimi alumnum ostendisti, cum dicis te nolle ea referre, quæ Franciscus Sfortia iuvenis admodum in multis Italiae locis fortiter gessit, sed inde tibi exordium dari vis, ut tuis verbis utar:

Quod iam Latio supereminet omni.

In quo quidem principio exoptarem, res altius repetitæ ita te sensim duxissent, ut non oratoria, sed poetica narratione uteris, ut plerique differes et in præsens tempus omittes et in medias res auditorem raperes secundum Horatii Flacci præcepta in arte poetica. Differunt, differunt, inquam, poemata et commentarii. Nam ut poeta ex racemo vindemiam, sic commentariorum scriptores ex vindemia, ut ita dicam, racemum faciunt, quod facile ex Marone deprehenditur. Nam irarum Iunonis et Aeneae laborum causas altius repetivit et, quod prius dicendum erat, peraptissimam narrationem posteriorem rettulit, ubi vera fictis admiscuit secundum poeticam artem et legem carminis heroici, quod constat ex divinis humanisque personis continens vera cum fictis, ut testatur Servius, et, quoniam illud Horatii iam tritum vetustate est:

Aut prodesse volunt aut delectare poetæ,

visum est mihi te hanc legem neglexisse. Nomina enim civitatum ita ieiuna et nuda ponis, ut nihil ad nos, nisi nomen urbis ex tuo poemate attineat. Quanto rectius alii poetæ, qui et delectant et docent, quod et in Silio Italico, qui maiore cura, quam ingenio carmina componebat, optime apparet; dicit enim:

Mantua mittendæ certavit pube Cremonæ,  
Mantua Musarum domus atque ad sidera cantu  
Evecta Aonio et Smyrnaeis aemula plectris.

Quis enim adeo rerum caecus aestimator est, qui non iudicet in hoc et iocunditatem et utilitatem esse; et hic idem:

Tum Verona Athesi circumflua . . .

et iterum:

Vercellæ fuscique ferax Pollentia villi,  
et Vergilius:

Oliviferaeque Mutuscae,

et in alio poeta:

Ventosa Damascus.

Non tamen huius sententiæ sum, ut semper hoc faciendum ducam, sed saepe. Nulla enim urbs est, quæ vel rebus gestis

vel viris vel situ fluviove aut aliis rebus non sit a ceteris longe diversa, quae a poeta non debent praetermitti.

Accedit etiam, quod in opere tuo perparce astrologiam<sup>13</sup> inservisti et, quae posuisti, ita aperte sunt, ut magis praeceptor astrologiae, quam poeta videaris; nec apotelesmata ex orationibus tuis exeunt, poeta nanque deos, id est, planetas ad loquendum inducit et aliquando iratos altercantes, nonnunquam et mites saepe ea loqui et consultare facit, quae sunt coniunctionum apotelesmata, et aliis omissis illud Vergilii pro exemplo sit satis, quod est in primo Aeneidos, in quo totius structurae massa formatur. Dicit enim Iovem in vertice<sup>14</sup> caeli constituisse et Venerem fingit tristere et Iovis responsum, quod huius rei apotelesma est. Quid enim Iuppiter in<sup>15</sup> decimo loco ab horoscopo, hoc est, in medio caeli Veneri aspectu coniunctus, illi enim oscula libavit, quid, inquam, aliud portendit in alicuius nativitate, nisi quod per Iovis orationem declaratur, ut

Parce metu, Cytherea, manent immota tuorum  
Fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini  
Moenia

et alia huiusmodi? Nonne idem Venerem in habitu virgini<sup>16</sup> nis in silva Aeneae apparuisse affirmat, cum vult insinuare Aeneam in uxore felicem, quod decernitur ex Venere in signo virginis constituta et ubique filium Veneris introducit Aeneam, ita, ut

Medio ne discrepet imum,

cum et ab huius planetae effectum non declinavit, felicitatem enim habuit Aeneas fuitque pulcherrimus, ut

Os humerosque deo similis, nanque ipsa decoram  
Caesariem nato gemitrix lumenque iuventae  
Purpureum et laetos oculis afflarat honores,

quae omnia Venus ipsa largitur. sed certe optandum erat, tibi in mentem venisset, quod et aliis. Poetae enim in operibus<sup>17</sup> suis aliquid novi inserunt. quod aut intactum aut incultum est, sicuti in Lucano lucta Antaei et Herculis, diffusius, quam apud alios, et in Statio Archemori funus, ut res novae auditorem ad se rapiunt ac detinent. Quot enim fabulae apud<sup>18</sup> Latinos vel neglectae vel ignoratae, quae tua eloquentia splendescere potuissent, quot mores, consuetudines ignotae, loca etiam obscuriora historiae latentes potuissent in opere illo tuo inseri, quae omnia a triviali scientia volumen tuum vendicassent, — et hoc etiam non censui praetereundum. Tu<sup>19</sup> enim ab illa gravitate ac dignitate heroica plerumque ad humillima quaeque descendis ita, ut orationes pedestri sermone compositae nihil acrimoniae, nihil poetici spiritus, nihil ardo-  
ris, nihil declamatorium ostendant adeo, ut nec poetis, nec

oratoribus sint imitandae, in quibus, ut dicam, quod sentio, magis versificator, quam poeta videris, nam et in his vires oratoriae desunt et non adsunt poeticae. De his hactenus.

Nunc ad minuta descendam, in quibus uterer Horatii <sup>20</sup> consilio:

... Non ego paucis  
Offendār maculis, quas aut incuria fudit,  
Aut humana parum cavit natura

nisi Cicero poetam etiam in nugis peccantem in syllabis non audiendum mōneret, et in opere tuo frequentissime Ticinus primis duabus brevibus ponitur, cum longae sint. Silius in <sup>21</sup> primo:

Dum Rōmana tuae, Ticine, cadavera ripae  
Non capiant

et alibi. Contra regulam posuisti:

<sup>22</sup>

... Veneti dispendia belli  
Tanta diurni non aequa mente ferebant,

cum doctissimi viri secundam brevem posuerint. Ovidius in <sup>23</sup> VI-o Fastorum:

Est mihi sitque, precor, nostris diuturnior annis.

Nonne in libello illo egregio legitur sic:

Nam diuturna quies vitāis alimenta ministrat.

Hunc in syllabis fidelem reperio. Nec illud me movet, cum dixit:

Non eodem cursu respondent ultima primis,

nam Propertius eodem modo utitur:

Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.

Et saepe impedimenta contra artem grammaticam in opere <sup>25</sup> tuo posuisti:

... Ut casu quocumque vel arte  
Impedimenta fugae

tertia enim syllaba longa est et tu fecisti brevem. Nam Pri- <sup>26</sup> scianus dicit: A verbis quoque quartae coniugationis venientia i productam habent, ut: munio, munimen; lenio, lenimen; molior: molimen. Hactenus Priscianus. Nomina autem in -men- <sup>27</sup> tum hinc sumuntur, ut: munimen; munimentum; lenimen, lenimentum; molimen, molimentum; impedimen, impedi-  
mentum. Et alibi:

... Duce nata Iohanne

et hoc tuum est, quod mirum est. Nam Iohannes per ω mega <sup>29</sup> scribitur. Dicis etiam:

Astēos in medio nuper iam ceperat asty:

In hoc versu dubius fuisset, nisi glossas manu tua reppe-<sup>30</sup>  
rissem hoc pacto: Asty Graeca dictio est significans oppidum,  
cuius gentivus asteos, in quo certe tibi subirascor, nam  
ceteri, qui scripserunt et linguam Latinam reddiderunt locu-  
pletioem et, quae Graeca sunt. Latina effecerunt, tu autem,  
quod Latinum et proprium, fecisti Graecum et appellativum.  
Id enim oppidum Hasta vocatur, cuius meminit Claudianus: <sup>31</sup>

Tu quoque non parvum Getico, Verona, triumpho  
Adiungis cumulum, nec plus Pollentia rebus  
Contulit Ausoniis aut moenia vindicis Hastae.

Nam si in litoribus Italiae esset et historia affirmaret a <sup>32</sup>  
Graecis id oppidum conditum, tibi non negaretur. Et inquis: <sup>33</sup>

. . . Socerique beatis  
Reliquiis adero . . .

Reliquiae apud observantissimos linguae Latinae non nisi <sup>34</sup>  
ex maxima calamitate et infortunio sunt, ut:

Reliquias Danaum atque immitis Achilli

et:

. . . Dulcesque meorum  
Reliquias colerem . .

Cur autem beatas dixeris, admiramur. Addatur etiam hoc: <sup>35</sup>

. . . Cui vertice mitra  
Splendida surgebat gemmis ornata coruscis

indignum, cum de Ambrosio sanctissimo viro loquereris, quod  
mitram illi imposueris; mitra enim mollis viri gestamen erat,  
unde Vergilius:

Maeonia mentum mitra crinemque madentem  
Subnixus

Est enim, ut Servius inquit, pileum incurvum, de quo pende-<sup>36</sup>  
bat etiam buccatum tegmen, quod quidem gestamen a  
molli viro, ut deprehendimus, ad mulieres defluxit mulie-  
breque gestamen factum est. Ita Iuvenalis:

Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra,

Et Vergilius: 38

Copa Syrisca caput Graia redimita mitella.

Quod autem dicis:

Spem nosset praesens, age, fare, Polimnia . . . ,

quoniam Ovidius in V-o Fastorum produxit primam:

Dissensere deae, quarum Pollimnia coepit . . .

Et hoc non placet: 40

Non gelidae montes Daciae . . . ,

cum dicat Iuvenalis:

Et qui vulturibus servabat viscera Dacis.

Et hoc rursus:

Quid non cogit Amor, puer hic et caecus et amens.

De Amore dicitur recte, quia active est caecus, facit enim homines caecos, sed Cupido nunquam passive dicitur caecus et apud Propertium Cupido puer cum alis et pharetra introducit, de caecitate mentio nulla fit. Sunt et innumerabilia, in quibus culpam evitasti, non tamen laudem meruisti. Dispercam, si in tanto viro principium Sfortiados ex Ovidio sumptum non displicet. Ille enim:

Prisca iuvent alios

et tu:

Prisca vocent alios . . .

Et alio in loco:

. . . Reliquique equites peditesque

et circa principium quarti libri carmen, quod hephthemimeren heroicam non habet, mirum in modum incommodum displicet. Inquis enim:

. . . Qui tanta Philippo

Damna pio nummum vi, nullo iure tulissent.

Non tamen infitiabor fieri aliquando posse, sed nescio, quo pacto alio in loco minus patenti positum optarem. Plurima etiam visa sunt dura et obscura ac ambigue dicta, quae longum esset enarrare. De his satis.

Me tibi plurimum commendo et, hoc in bonam partem accipias, rogamus. Manant enim ex meo solito dicendi more et ex summa observantia in te mea. Vale.

## INVECTIVA II.

### *Galeotti Martii Narniensis invectiona in apologiam Francisci Philelphi.*

Legimus epistolam Francisci Philelphi ad Albertum Parisium, cuius exordium haud mediocriter sumus admirati. Iniecerat enim mihi dubitationem maximam, nam nullo pacto in illa perplexa et inculta oratione intelligere poteram, quorum tenderent illius verba, quibus dicit Indum elephantum culicem non curare. Sed cum summa quadam aviditate tandem ad finem pervenissem, intellexi denique proverbium illud Graecanicum in me a Philelpho fuisse contortum. Quicumque enim suum illud Sfortiadae onus laudant, magis ut homini impudenti morem gererent, quam quod ita sentirent, sunt a Francisco Philelpho honorati et ornati laudibus, Galeottum autem, qui et vero et sincero iudicio errata correxit, non argumentis, sed conviciis, non rationibus, sed clamoribus Philelphus aggreditur. Unum tamen mihi non displicuit, video nanque plerosque egregios viros mirum in modum laudatos. Philippum enim Lucinum, Troctum, Bornium iurisconsultum, quos probos et doctos fama praedicat et sua ipsorum laude decoratos. In eo autem, quod Benedictum Morandum virum eruditissimum, qui summa cum laude cum Laurentio Vallensi saepe certavit, nimis parce honoravit, eius consilium improbamus. Quanquam satis laudatus est unusquisque, de quo Philelphus tacet, sed cum nomina quorundam hippodidascalorum inserit, pie et honeste facit. Ille enim Francisco reprendunt vicem, quanquam longiori fuisset opus oratione, ut nomen tam obscurum e tenebris emergeret. Sed ut ad me redeam, Philelphus se elephantum, me culicem putat, quod non ex omni parte est falsum. Philelphum enim elephantum et animal esse brutum nemo negavit unquam et me culicem non profitebor, nisi hac ratione, quia

. . . Mali culices ranaeque palustres  
Avertunt somnum

ut Horatius Flaccus inquit. Ego autem ita hominem pupugi, ita agitavi, vexavi et denique iugulavi, ut curae et cogitationes menses fere quattuor non passae sint dormire aut quiescere Philelphum. Tot enim consumpsit, ut quadriduano operi responde-

ret, quod, si integri sensus esset, fecisset nunquam. Nam cum a 13  
me homo importunus saepe mendicaret, ut illud libri cadaver  
emandarem, idque libenti animo effecissem, ut se aliquando  
stultitiae suae poeniteret, debuisset saltem, quandoquidem ita  
miser est. ut referre nequeat, habere si non magnas, qualescun-  
que potuisset, gratias; sed nimis callide egit eius consilium, nunc  
demum intelligo. Imitari enim voluit ducem illum, qui, cum ex 14  
equo concidisset versareturque in capitis periculo, gregarium  
militem ad auxilium vocavit, cuius opera equo rursus advolu-  
tus eum occidere tentavit, ne unquam gloriari posset id se  
effecisse. Sic Philelphus, cum sese mihi obnoxium ubique 15  
praedicare una semper et clara oratione debuisset, me ita  
petulantem incessit, ut nihil supra, quamquam in hac re ego  
dux sum, ipse gregarius, sed oleum perdit et impensas, qui  
asinum vocat ad ceroma. Accedit etiam, quod aegre ferre 16  
videtur, quod nomen meum nunquam audivit, ac si summo-  
rum virorum nomen inter cauponas, scorta exoletosque verse-  
tur. Quis enim Galeottum ignorat, nisi is, qui in popinis haesi- 17  
tat, cum tota fere Italia, Gallia, Hispania, Britannia litteris et  
doctrina nostra fuerint illustratae. Sed missa isthaec faciamus.  
Philelphus, homo suavis appellat me tironem et se non modo 18  
veteranum, sed emeritum, cum militia non annis, sed rebus  
gestis gloriae nomen accipiat. Fateor nanque, Philelphe, ne- 19  
potibus tuis me iuniorem, septimum enim et tricesimum an-  
num agimus, sed litteris et disciplina et bonarum artium stu-  
dio me superiorem vel invitus confiteberis, praesertim cum  
is bonus miles dicatur, qui tam pedestri, quam navali bello est  
exercitatus, qui conto, ense bipenne, pugione hostem punctim  
caesimque lacessit, qui tam incursionibus, quam statariis pu-  
gnis valet. Nullius enim disciplinae sumus expertes, nam ut 20  
omittam quadrivium illud, in quo antiquissimi philosophi  
duce Pythagora exercebantur, in quo certe ita detriti sumus,  
ut in astrologia, arithmetica, musica, geometria non minus  
nostra placeant, quam in studiis humanitatis rhetoricam,  
artem poeticam tenemus, ut multarum rerum fuerimus inven-  
tores omniaque iam desperata in lucem eduxerimus, cuius  
etiam rei tu testimonium perhibes. Scis enim, quantus sit 21  
Galeottus, qui tuas illas cristas vehementer infregit. Hic igitur 22  
tiro, o Philelphe, te veterano in omni genere doctrinae est  
exercitator, doctior et peritior. Sed cum accusas me petulan- 23  
ter opus tuum invasisse, immeritum criminaris, non nosti ani-  
mum meum, non enim tanti te puto, ut de te verba faciam,  
nunquam opus tuum percurrissem, nisi rogatus ab Alberto  
Parisio, cui et propter facillimos mores et vitae candorem et  
doctrinam magnam plurimum et debemus et debemus. Sed 24  
iam haec omittamus ad causamque accedamus. Dicis, Phi-  
lelphe, epistolam meam ineptiis scatere. Ubi sunt istae ineptiae, 25



Philelphe, ubi sunt, inquam, ubi eloquentiae vitia? tu me in eloquentia et lingua Latina reprehendes? Philelphus Galeottum? 26  
 Homo Latinitatis ac elegantiae inscius hominem et Latinissimum et elegantissimum? Sed haec nostra vitia Philelphus gratia brevitas vel ebrietatis potius aliis post se memoranda reliquit. Unum tamen tetigit, quod summum putavit Philelphus. 28  
 Quodnam est hoc tam taetrum facinus? Ubi est peccatum hoc tantum ab viro docto alienum? Dicit me Sfortiaden per -n 28 dixisse, cum dicere debuissen aut in -m aut in -a accusativum, et in hoc omnes vires effundit. Huc dirigit argumenta Philelphus, hic totius nostrae quaestionis cardo versatur. O miserum hominem et Graece et Latine ignorantissimum! Vide, 32  
 quo pacto vivitur? Adducit ad hanc suam ignorantiam etiam rationem grammaticae dicens ea nomina Graece, quorum nominativus servatur integer, integrum quoque servant accusativum, ut Agamemnon: Agamemnona, Arcas: Arcada, Pallas: Pallada. Sed dicat Philelphus, quo tendunt haec exempla? 34  
 Suntne haec tam abstrusa, ut acie non possint mentis percipi. Primò dic mihi, in Agamemnone servaturne nominativus integer, cum dicat Statius in primo Achilleidos: 34

Conclamant Danaï stimulatque Agamemno volentes.

Allegas et nihil ad rem. Statii carmen, sed nec tu divinam 35  
 Aeneida tenta, ac si eiusdem essent terminationis Aeneis et tuum hoc barbarum nomen: Sfortias. De Pallade tua nihil, quia etiam in terminatione discrepat. Sed quo tendunt ista 36  
 tua argumenta, o Philelphe? Nempe ad detegendam crassam illam tuam inscitiam, quibus melius fuisset non respondere. Vereor enim, ne, cum ad haec minuta descendam, de 37  
 fama et nomine meo aliquid detraham, sed lacessitus facio et te omnia ignorare arbitror; ideo mihi tecum tanquam cum infantissimo sermo habendus est. Sfortiaden in epistola mea est 38  
 accusativus a masculino descendens, ut hic Sfortiades, -dae primae declinationis, cuius accusativus in -n in Graecis terminatur, ut inquit Priscianus et Vergilius est testis:

Anchisen facio certum remque ordine pando.

Sed illud te turbavit, scio, quod addiderim femininum adiectivum, cum tuam dixerim. Ratio satis manifesta est. Adiectiva enim aliquando ad vocem, plerunque ad significationem accedunt, sicut apud Vergilium:

Praeneste sub ipsa,

et in Ovidio:

... Postquam alta cremata est  
 Ilion

cum Praeneste et Ilium neutri sint, rettulerunt igitur ad signi-

fictionem, quia urbem significant. Maiores enim nostri, ut  
dicit Servius, vitia non indicto, sed insigni significatione esse  
voluerunt. Et eodem modo nos fecimus.

O miser inque dies ultra miser

Nam ad fabulam sive historiam sive, ut verius loquar, ad  
tuam insaniam rettulimus, quod non est meum inventum, fe-  
cerunt hoc viri doctissimi et Latinae linguae lumina: Teren-  
tius et Vergilius. Ideo apud Terentium legitur, transtulit in  
Eunuchum suam, ubi dicit Donatus, quod non ad hominem,  
sed ad fabulam rettulit; eunuchus enim masculini generis.  
Sic etiam Vergilius:

Centauro invehitur magna .

cum de navi diceret et centaurus masculini etiam generis est.  
Sed diceres, cur potius Graece dixerim, quam Latine, hoc est,  
potius in -en, quam in -am accusativum. Duplex ratio est:  
primo, ut litterae repetitio evitaretur; deinde, ut secundum  
rectam loquerer dicendi rationem. Et licet Horatius fortem  
Scipiadam dixerit, tamen ratio in hoc non patitur quicquam  
Latinitatis, cum hoc nomen hac cum aggregatione litterarum  
minime possit esse Latinum, nam Latinitas s ante f in eadem  
syllaba non patitur, Graeci autem saepe faciunt, nam  $\sigma\phi\delta\delta\rho\alpha$   
dicunt et  $\sigma\phi\alpha\tau\rho\alpha\nu$ , ideo quidam Latinorum spaeram pro  
sphaeram dixerunt. Nam si Latine diceretur, Fortia remota s  
poneretur, sicut Catilina et aliquid Latinitatis saperet. Nam  
nescio, quo pacto fueris ita caecus, ut haec non videres; sed  
crede mihi, ubi desunt fundamenta, reliqua facile collabuntur.  
Accedit etiam ad hoc, quod quanvis in -en feminini generis  
accusativus non esset vitiosus, cum in accusativo maxima li-  
centia sint usi antiquissimi viri, ut in uno eodemque nomine  
et in -en et in -a terminerit accusativum Vergilius:

Praecipitemque Daren

et in eodem:

Fessumque Daretæ.

Et Diomedes: in -e terminat accusativum Vergilius:

Vidimus, o socii, Diomede Argivaque castra.

Et quidam addunt -n mendose, quia non staret versus. Sed  
quid tam multa, cum apud vetustissimos et similis accusati-  
vus in -en reperitur, ut Ilias: Iliada, et hinc Iliaden Vitru-  
vius architectus libro septimo. Zoilus, qui adoptavit cogno-  
men, ut Homeromastix vocaretur, suaque scripta Iliaden et  
Odysseam comparata regi recitavit: sic in vetustissimis et  
emendatissimis codicibus reperitur. Sed haec admodum pue-

rilia pudent me in hoc libello meo inserere, nisi provocatus facerem. De hoc satis. Nunc accedamus ad illam apologiam <sup>54</sup> tuam.

Nam dicis, ubi te reprehendimus, nescio, quas nugas, et <sup>55</sup> praesertim, cum illam Sfortiadae narrationem contra artem poeticam ostendimus rationibus, tu nihil affers contra, sed narras ita te facere oportuisse et ego dixi non oportuisse et tam rationibus, quam auctoritate poetarum id ita esse comprobavimus, quas debuisses aut refutare aut alio modo intelligendas ostendere aut ex arte factum demonstrare. De urbibus <sup>56</sup> nude et sine ornamento positis iocundam affers excusationem, cum Statium, Vergilium et Homerum ita fecisse affirmas, cum de Roma, Thebis et Ilio dicerent, ac si Vergilius non diceret in primo Aeneidos:

. Atque altae moenia Romae,

et Statius:

Tyriae dux inclite Thebes,

et Homerus in toto suo volumine nil aliud, quam de Troia praedicit nunc hoc, nunc illo adiectivo decorans, in quo certe cognovi iam te senio delirare. Et tamen in illa tua invectiva <sup>57</sup> haec vocas minima. Quae sunt magna in libro tuo, Philelphe, si haec sunt minima, nisi artem poeticam, rhetoricam, grammaticam, in quibus saepiuscule peccas, ut epistola nostra luce clarius ostendimus, tanquam minuta quaedam existimas, et, ut arbitraris, maxima sunt in codice tuo cornua, bombycina, frontes auratae et pictus umbilicus et vermiculata opercula et litterae initiales, quae certe omnia in libro tuo probamus. Erat enim satis ornatus, sed Latinitatem, musicen et poeti- <sup>58</sup> cen penitus reprobamus. In eo autem, quod perparce astrologiam inservisse affirmamus et apotelesmata ex orationibus non exire, dicis te didicisse ventoso cerebro nonnullos astrorum quorundam effectus et lunares nocere plurimum consuesse, quod etsi tibi experto credendum esset cerebrum tuum a luna vexari, tamen, quia non videris huius et aliorum planetarum rationem tenere, scito lunam in te eam esse, quam praedicas, sed in aliis aliis atque aliis effectus habere. Pla- <sup>59</sup> netae enim, ut Chaldaei referunt, sunt sua ipsorum vi ac potestate conspicui. Nam Saturnus facit cautos, graves, avaros ac tacitos, Iuppiter maturos, bonos, benignos et modestos, Mars crudeles, perfidos ac feroces, Sol relligiosos, nobiles ac superbos, Venus luxuriosos, venustos et honestos, gratiae splendore fulgentes, Mercurius astutos, callidos et concitati animi mobilitatibus turbulentos, Luna acutos, splendidos, elegantes et popularis splendoris gratia praevalentes. Hi etiam, <sup>60</sup> Philelphe, dant annos. Saturnus enim ad summum annos LVII., Iuppiter LXXVIII., Mars LXIII., Sol vero CXX., Venus autem LXXXIII., Mercurius CVIII., Luna vero

LXXXIII. annos decernit. Quae quidem Luna crescens auget <sup>61</sup> cerebrum, decrescens minuit, quae si hexagono trigonove Mercurium, ut alia omittamus, aspectu respiciat, facit maximos oratores, summam eloquentiam, linguae facilitatem; quae quidem, si ei Mars coniungitur, facit obtrectatores et maledicos et qui suis morsibus aliorum semper honestam vitam dilacerant. Sed missa isthaec faciamus. Tu non intelligis <sup>62</sup> nec intelligere unquam poteris et audes te poetam appellare, cum nihil tam arduum, tam difficile sit in astrologia, quod a poetis fuerit neglectum. Quod ex Lucano, Ovidio, Statio et <sup>63</sup> Marone praecipue est intelligere ita, ut hoc audeam affirmare neminem posse poetas recte tenere, qui astrologiam ignoravit. Nam cum legi magnam editionem Ptolemaei, quam corrupto <sup>64</sup> et barbaro nomine *Almagestum* nominant, et librum fructuum, quod etiam *Centiloquium* appellant, *Albumasar*, *Hali*, *Abram Avenare Arabes* et *Iulium Firmicum Maternum* et *Manilium Astronomicum* Latinos ceterosque mathematicos, qui Latine *Chaldaei* appellantur. Dispeream, si quicquam secreti <sup>65</sup> et ardui in his est, quod apud poetas non optime reperiatur. Nam et motus astrorum et apotelesmata saepe demonstrant; unde fit, ut, qui huius rei ignari sunt, cum ad illud *Lucani* deveniunt, perturbentur, cum de sole loquitur:

... Radiisque potentibus astra

Ire vetat cursusque vagos statione moratur,

et alia innumerabilia. Sed nimio me risu commovisti, cum me <sup>66</sup> ad astrologiam, *Philelphe*, hortari videris, quasi sus *Minervam*. Nam multa enuntiavimus horoscoposque multorum <sup>67</sup> inspeximus futuraque praediximus, cum haec scientia nobis quodammodo naturalis sit. Scientia enim stellarum, ut *Ptolemaeo* teste didicimus, ex te et illis est et, cum in eodem fructuum libello affirmetur, plus eum posse, cui *fautrix stella* in nativitate affulserit, quam qui longo tempore in arte se exercuerit. Et in epistola tua dicere mihi audes haec verba: Quae <sup>68</sup> vero ad astrorum attinent rationem, ex *Claudio Ptolemaeo* philosopho *Alexandrino* vel ex aliquo vel *Arabe* vel *Chaldaeo* potius, quam ex *grammatico Servio* sumenda arbitror. O hominem ignorantissimum, quae sunt ex *Servio* sumpta, nonne, cum diximus apotelesmata orationis ad *Iovem* itemque *Iovis* ad *Venerem*, ex nobis diximus. Suntne haec ex *Servio* <sup>70</sup> sumpta? An nostra sunt? Unum tamen posuimus, quod est a mathematicis mutuatus *Servius*. Hoc est, *Venerem* in forma <sup>71</sup> virginis portendere in uxoribus felicitatem, hoc autem fecimus, ne tu huius disciplinae penitus ignarus excogitatum a me crederes apotelesmata tam signorum, quam planetarum in poeta esse requirenda. Nam astrologiam longe melius, quam <sup>72</sup> *Servius*, tenemus et in aliis non sumus inferiores. Nam et refutavimus illius argumenta et quae a te et tui similibus comprobantur.

In eo autem, quod te in inventione anteponis Vergilio, <sup>73</sup> rideo aeternumque ridebo et, quod a Theocrito bucolia, ab Hesiodo georgica et ab Homero permulta sumpta sunt et quae etiam ad verbum fere ex Pisandro et Apollonio in Aeneide posuit Vergilius, tanquam ex oraculo quodam Apollonis nobis affers, cum Macrobius quinto libro Saturnaliorum haec dicat: Dicturumne me putas ea, quae vulgo nota sunt, quod Theocritum sibi fecerit pastoralis operis auctorem, ruralis Hesiodum, quod in ipsis Georgicis tempestatis serenitatisque signa de Arati Phaenomenis traxerit, vel quod eversionem Troiae cum Sinone suo et equo ligneo ceterisque omnibus, quae librum secundum faciunt, a Pisandro paene ad verbum transcripsit, qui inter poetas Graecos eminet. Haec Macrobius; <sup>74</sup> et tu, Philelphe, tanquam oestro concitatus te haec praedicaturum vulgo ostentabas, sed quid pro defensione Vergilii afferam, nisi totam linguam Latinam, quam lege, et videbis, si bene invenerit, melius disposuerit et optime, quae elocutus est, et pronuntiaverit et pronuntianda nobis reliquerit, quanquam in eis, quae ab aliis sumpsit, imitatur eos, qui nuculas condiunt, nam eas primo purgant et melle speciebusque suaviores reddunt, ut, quae a natura taetri admodum et asperi saporis sunt, fiant condimentis iocundiora ita, ut in diaspasmate minima laus reservetur materiae, quod Mantuanus auctor non ignorans ab illa rudi et impolita inventione ad ornamenta se contulit. Nam quae a Graecis tanquam ab <sup>75</sup> iniustis possessoribus in codices suos immisit, ita dulcia suaviaque effecit, ut malimus a Vergilio accepta mollitaque, quam in naturali trunco intueri. Omnes enim flosculos legit <sup>76</sup> vel, ut verius loquar, quae legit, flosculos effecit. Nam ab illis sumpta nunc copiosa, brevi interdum, nonnunquam sicca, aliquando florida oratione variando ita narravit, ut, quae in aliis vitia iudicantur, in Marone virtutis nomen obtineat. Hoc <sup>77</sup> nunquam infitiabor in plerisque negotiis Graecos dedisse nuculas, ut ita loquar, divisisse Vergilium; illi, quod naturae erat, praestiterunt, hic, quod erat artis, non eorum vestigiis, sed itineri insistens. Et audes, vir omnium ignoratissime, te <sup>78</sup> Vergilio anteponere, quod nullo pacto auderes, nisi te iam sensus defecisset, et tu tua gloriaris inventione, ac si quicquam novi adinveneris. Quae enim in Sfortiade tua inseris, ita trivialia sunt, ut pudendum sit tam crassae ruditatis.

Sed cum obicimus in orationibus errasse Philelphum. <sup>79</sup> ipse nil aliud respondet, nisi servasse circumstantias, ac si nil aliud in poeta desideretur, quanquam et illas male. Addicis etiam te studuisse, ut in contionibus tuis oratori simillimus sis, quod in poemate vitium est maximum. Oratores, ut <sup>80</sup> vincant, quaerunt et, quod nec obest nec prodest, recidunt, brevitati student et poetae delectant, vagantur et divinum etiam aliquid spirant, cum in oratore sint civilia omnia et,

licet orator et poeta sint in multis similes, non tamen idem. M. enim Tullius de institutione oratoria sic inquit: Est enim finitimus oratori poeta, numeris abstrictior paulo. verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus similis ac paene par. Quis non intellegat non esse idem: Tendit orator <sup>81</sup> semper ad victoriam, hic ad delectationem. Nam si Quinti- <sup>82</sup> liano teste didicimus Livii lacteam eloquentiam oratori non convenire, quo pacto poetas oratoribus persimiles eos denique arbitraris. Sed tu inventionis tuae homo, cum orator poetis <sup>83</sup> videri vis, efficis, ut nec poetis nec oratoribus poeta videaris.

Non quivis videt immodulata poemata iudex,

dicit Horatius. Non enim versus facere, aliquid fingere, con- <sup>84</sup> cinnitatem habere haec dumtaxat poetam efficiunt, sed alia, quae tam a Iuvenale, quam ab Horatio tacta sunt. Quid enim <sup>85</sup> reprehendit Horatius, nisi huiusmodi inepta poemata, sic dicens in primo sermonum:

. . . Neque enim concludere versum  
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,  
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.  
Ingenium cui sit, cui mens diviniore atque os  
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.  
Ideioco quidam, comoedia necne poema  
Esset, quaesivere, quod acer spiritus ac vis  
Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo  
Differt sermoni, sermo merus

Et ut poeta novus id fecisse gloriaris. Dicis enim te sermone <sup>86</sup> uti et aquilae te persimilem effingis, quod omnino vanum est. Aquila enim descendit, non ruit, volat, non raptatur, non agi- <sup>87</sup> tur in praecipitum, nec tantum se ad humillima quaeque demittit, ut limo inhaerescat, quod tu plerunque facis, a summo enim et alto stilo ad attenuatam figuram quasi turbine quodam raptatus unum atque alterum assuens pannum in luto provo- <sup>88</sup> lutans haesitas. Sed iam tempus est, ut ad alia veniamus. <sup>89</sup>

In epistola tua haec verba sunt: Ait Galeottus nos errare <sup>90</sup> persaepe in syllabarum quantitate — adducitque exempla ex Sfortiados nostrae libris; et quaenam sunt, Galeotte, nempe Ticinus et Pollimnia. Respondet Galeottus: Ista sunt, Phi- <sup>91</sup> lelphe, et alia omnia, quae in epistola nostra narravimus. Intellextin, an nondum etiam. Dico te in istis vehementer er- <sup>92</sup> rasse et rationibus ac autoritate ostendisse et, ut omittam garrulitatem tuam, ad rem veniam. Quidnam, inquit Philelphe, quid, si Galeottum convicero, tacebitne posthac? O hominem ridiculum! Antequam ad causam descendat, admo- <sup>93</sup> net nos barbarus magister neminem posse satis excultum esse, qui omnino litteras Graecas ignorarit. Estque tuum hoc, Philelphe, quis hoc ignorat? Et ob hanc rem affirmas te septen- <sup>94</sup> nium in urbe Roma Constantinopolitana consumpsisse. Quam

rectissime consulisses tibi, si totidem annos Latinae linguae dedicasses, — esses et gravior et litteratior. Nam Graeca ple-<sup>94</sup>runque inculcas et Latina penitus ignoras et inter alia laudas Graeculum esurientem, nescio, quem Graece et Latine infantissimum Graecula quadam assentatione, ut ille vicem tibi rependat, quo fit, ut ineptiae tuae illi placeant et istius inepta verba tibi maxime probentur. De hoc satis. Quid denique? Inquit Philelphus: Quaecunque verba cum poly- componun-<sup>95</sup>tur, corripiuntur in prima syllaba nec positionem ulla ratione admittere possunt, ut Polydorus, Polycletus, Polyphemus, Polyxena, — et quaedam alia adiungit Philelphus, sed narrat, nihil tamen auctoritate confirmat, quia haec nota sunt. Ego aliquantisper iuvabo exemplis Vergilii:<sup>96</sup>

Nam Polydorus ego, hic confixum ferrea textit.

Idem:

Pastorem Polyphemum et litora nota petentem.

Iuvenalis:

Cassandra inciperet scissaque Polyxena palla.

Idem:

Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycleti.

Sed haec, Philelphe, ideo brevissima sunt, quia non habent posi-<sup>100</sup>tionem et id esse verum auctoritate confirmatur eruditissimorum. Huiusmodi regulae non sunt in mente divina formatae.<sup>101</sup> Non ita certe sunt, ut non alio modo aliquando inveniantur, et argumenta in facultate nostra per similitudinem non procedunt. Nam, si amo te, cur non servio te et, si docetur, cur non agatur non ob aliam rationem, nisi quia apud idoneos non reperitur. Nullae enim regulae auctoritati refragantur, sed<sup>102</sup> re inventa tunc rationem quaerimus verisimilem, si apud idoneos invenitur Pollimnia quinque syllabarum, acquiescet unusquisque auctoritate convictus, sed, si aliter est, quam communis opinio ferat, tunc auctoritas quaecunque ratione corroborabitur. Quod si et haec deerit, dicemus auctoritate<sup>104</sup> sua fecisse. Nam cum apud Latinos Pollemnia prima producta et apud Ovidium est et alia a poly- composita sint brevissima, si ratio est, quaeratur, ut, si dicam, unde derivatur bubulcus, cum constet a bove dictum non ab ablativo neque dativo plurativis; repugnat enim quantitas. Sed ab aliis casibus, ubi<sup>105</sup> nulla est quantitatis contrarietas, et ideo huius rei nostrae, quia patens ratio est, frustra confugimus ad id, quod generale est: apud Graecos πολύ, id est, poly in masculino per unum l, πολλή, id est, polle in feminino duplicat l, est igitur positione longum, sic etiam in genitivo l duplicatur. Haec varietas<sup>106</sup> reperitur, quia ex duobus nominibus unum fecerunt, ut arbitrator; sic apud Latinos multa: nam idem in neutro i cor-

ripit, in masculino producit;  $\mu\upsilon\eta\mu\eta$ , id est, mneme dicitur 107  
 memoria. Inde Claudianus dixit:

Mnemosyne docili tradit praecepta Thaliae,

vult enim hanc fuisse Musam matrem, nam memoria in versu  
 heroico stare non potest. Pollemnia igitur est multa memoria 108  
 a feminino, non a masculino descendens, non multus, ut dicit  
 hymnus. Hoc vendicat sibi Calliope, quae teste Macrobio  
 optimae vocis Graeca interpretatione est.

Theologi antiquorum novem Musas ponunt, quas Latini 109  
 Camenas dixerunt, quoniam octo sphaerae sunt, quae suos  
 cantus musicos habent et maximam continentiam. Sic enim 110  
 appellat Macrobius, quae in omnibus efficitur. Planetae sep-  
 tem sunt: Saturnus, Iuppiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius,  
 Luna; et est octava sphaera, quam nostri theologi firmamen-  
 tum nuncupant et Hesiodus vocavit Uraniam, quia dicitur  
 caelum, et, ut dictum est, omnes habent suos et proprios can-  
 tus. Nam Saturnus movetur Dorio, Mercurius phthongo, Iup- 111  
 piter Phrygio et reliqui aliis cantibus. Ex istis omnibus est  
 Concinnentia et Harmonia quaedam, quae Calliope dicitur, id  
 est, vocis optimae Camena et non Pollimnia. Et ut dicit Mar- 112  
 tianus Capella vir omni disciplina ornatus vel potius ornans,  
 fuit enim Chaldaeus, id est, mathematicus summus et naturae  
 secreta tenuit, nec ignoravit poeticam, theologiam, in colloca-  
 tione Musarum Pollimniam circulum Saturnium continere  
 non ob aliam causam, nisi quia Saturnus siccitatis dominus  
 est et constat siccum cerebrum omnia tenacius tenere, quod  
 est memoriae proprium. Thesaurus enim rerum omnium est 113  
 memoria, quod Martianus Capella dixisset nunquam, nisi in-  
 tellexisset pro Pollimnia memoriam multam. Sed haec for- 114  
 tassis Philelpho non placent, quia obtusi ingenii vir non potest  
 haec intelligere; at Ciceroni, Vergilio, Ovidio, Lucano, Plinio  
 placuerunt. Non sunt ita levia, ut arbitraris, Philelphe, fig- 115  
 menta poetica. Nam theologiam et philosophiam sub alia veste  
 tegunt et adeo tegunt, ut, nisi puriore mente homines non  
 valeant intelligere, quidnam dicere in tanta rerum silva ve-  
 lint. Et ideo necessariam ducimus in facutate nostra astrolo- 116  
 giam, quam et oratori necessariam affirmat Quintilianus. Sed  
 haec tam longe repetita oratio demonstrat, Philelphe, non ita  
 temere affirmandum quicquam. Nomina enim sunt rebus im- 117  
 posita maxima cum ratione. De hoc satis. Nunc descendam ad  
 exempla a te posita. Ducis enim Horatium Flaccum posuisse 118  
 Pollymniam prima brevi in eo versu:

Euterpe cohibet, neque Pollymnia.

Tu tamen textum corrumpis, nam nec  $\rho\omicron\nu\nu\iota\varsigma$ , quod est mo- 119  
 nosyllabum, ubi reperitur semper in codicibus vetustissimis  
 neque, quod est disyllabum, et dicis tam ratione pedum, quam



metri sic dici oportere. Non meministi, quae dicit Acron. Dicit <sup>120</sup> enim hoc genus carminis duplicem scansionem recipere: uno modo, ut ex spondeo, duobus choriambis et pyrrhichio constet, et alio modo ex spondeo, penthemimeri heroica et tribus dactylis. Si enim primo modo scanditur, et tanta te <sup>121</sup> cupido teneret, ut omnes textus corrumperes, et poneretur haec dictio nec, ubi neque reperitur, semper esset Molossus pes, qui ex tribus longis constat. Si autem secundo modo, quod longe melius et facilius est, hoc pacto scanditur: Euter spondeus, pechoi dactylus, bet penthemimeres heroica. neque-Pol anapaestus. — qui ponitur saepe pro dactylo. Vergilius <sup>122</sup> in Georgicis:

Fluviorum rex Eridanus

Lucretius III-o

Aciebus hinis

quoniam res conficit utraque, — limnia dactylus est, licet unaquaeque syllaba ultima sit ad placitum, quia in fine versuum tam pedes, qui ultima brevi, quam qui ultima longa terminantur, poni possunt. Sed cur anapaestus non ponatur pro <sup>123</sup> dactylo, cum tam syllabis, quam temporibus conveniat. Ambo enim constant ex tribus syllabis et temporibus quattuor. Quae <sup>124</sup> igitur dementia est textus corrumpere tam manifestissime. Apud Ovidium prima longa ponitur in V-o Pastorum:

Assensere deae, quarum Pollimnia cepit,

cum nullo pacto eo modo, quo narras, inveniatur, nec poni possit, quia Pollimnia aliud, quam tu, librorum corruptor, dicis, significat. Quanquam si recte artem teneres, nunquam <sup>125</sup> lyrica heriocis commisceres, major enim licentia syllabarum semper fuit apud cantus lyricos, quam apud heroicos; carminibus enim lyricis non nisi convivia amicae et vina cantantur, licet aliquando etiam heroes admisceant, tamen:

Musa dedit fidibus divos puerosque deorum

Et pugilem victorem et equum certamine primum

Et iuvenum curas et libera vina referre,

ut docet Horatius in arte poetica. Non enim tubarum clangor, <sup>126</sup> terror classicorum inter fides lyrasque conveniunt, obstrepunt enim citharae concinnitatem. Nam pota multitudo et exlex <sup>127</sup> non severa et tetrica, sed iocunda quaedam et aurem demulcentia expectat, nam fastiditati iam aliquid novi audire maxime cupiunt, unde et novitate plerunque et litterarum adiectione vel detractone aut productione tanquam insinuatione quadam ad audiendum revocantur, unde fit, ut uxorius amnis et interludia dormis et mihi cunque salve et purpura venale nec auro, quae sunt apud Horatium contra metri et usitatae Latinitatis rationem, non nisi poetis lyricis con-

veniunt. Different, differunt, inquam, lyrica et heroica. <sup>128</sup>  
 Carmen enim heroicum non est inventionis humanae. Constat <sup>129</sup>  
 Apollinem fuisse inventorem. Quod si verum est, iam deus  
 hoc sibi vendicat, sin fictum hac ratione finxerunt, quia in-  
 ventum tam egregium non ausi sunt humanae imbecillitati  
 ascribere. Sed diceres, quo tendunt haec nostra dicta? Ten- <sup>130</sup>  
 dunt ad hoc, ut intelligamus unumquodque dicendi genus  
 propriis ornamentis gaudere, sed haec tua Pollimnia, tan-  
 quam Proteus, in plures mutatur facies, aliquando in Ho-  
 ratio, ut tu inquis, quinque syllabarum est et, quando opus  
 est, rursus se in quattuor syllabas transformat, ut apud He-  
 siodum. O miseram excusationem! Allegas textum Hesiodi: <sup>131</sup>

Τερψιχόρη τ' Ἐρατώ τε Πολύμνια τ'.

Hoc tuum Carpathium nomen, quaeso, non ita mendose ponas, <sup>132</sup>  
 nam in textu Hesiodi tui τε illud secundum est supervacuum  
 et boni codices non habent, sicut in illo disticho Vergilii:

Nocte dieque tutum carpe, viator, iter,

addiderunt plerique contra metri rationem -que, cum nocte die  
 tutum dicere deberet et in codicibus antiquis Vergilii repe-  
 ritur.

Rostrisque stridentibus aequor,

cum que sit supervacuum propter metri quantitatem. Sic <sup>133</sup>  
 etiam:

Omnia Mercurio similis vocemque coloremque.

Sed multis moror.

Allegas, Philelphe, Graecorum quantitatem in Latinis et <sup>134</sup>  
 nescis, in quo errore versaris. Nam poetae Graeci in syllabis  
 nullam servant constantiam. Licet nanque, quae brevia sunt, <sup>135</sup>  
 producere et, quae longa sunt, corripere, nam litteras addere,  
 diminuere, plerunque diphthongos formare et rursus eas sol-  
 vere, addere, diminuere complectivas dictiones iocus est apud  
 Graecos. Et licet secundum linguarum diversitatem hoc facere, <sup>136</sup>  
 sed Latini in syllabis severiores et constantiores illam Grae-  
 canicam instabilitatem repudiant et nullo pacto decere lin-  
 guam Latinam autumant, quod ita esse demonstrat egregius  
 poeta Martialis libro VIII-o epigrammaton, cum ad amicum  
 scriberet, cuius nomen metro non poterat accommodari, his  
 verbis:

Nomen nobile, molle, delicatum  
 Versu dicere non rudi volebam,  
 Sed tu, syllaba contumax, rebellas.  
 Dicunt εἰαρινόν tamen poetae,  
 Sed Graeci, quibus est nihil negatum  
 Et quos Ares Ares decet sonare:  
 Nobis non licet esse tam disertos,  
 Qui Musas colimus severiores.

Εἰαρινόν dicitur vernum et Graeci addunt ι et faciunt εἰαρινόν, <sup>137</sup>

ut syllaba brevis producat. Cum dicit: Ares, Ares, tetigit <sup>138</sup>  
Homeri inconstantiam, qui in una et eadem syllaba diversa  
utitur quantitate. Dicit enim Homerus:

Ἄρες, Ἄρες βροτολογίε, μαιφόνε, τευχεσιπλήτα,

nam producitur prima, secunda corripitur in uno eodemque  
nomine et versu, quod est magis admirandum, Sed iam ad  
aliam defensionem tuam superiore longe deteriorem ve-  
niamus.

Quid allegat Philelphus contra reprehensionem nostram <sup>140</sup>  
et adversus obeliscos sagittasque acutas in hoc nomine: Ti-  
cinus, in quo erat per totum illud suum ineptiarum opus.  
Dicit Claudianum et Silium Italicum ita posuisse. Cui succi- <sup>141</sup>  
nis ambages? nempe Galeotto, quem fallere in lingua Latina  
non potes; dicit, inquam: Claudianus ita posuit in hoc versu:

Colla levant pulcher Ticinus atque Addua visu  
Caerulus . .

non ita dicit: nec versus nec ars poetica patitur; nam, ubi  
ponis atque, est et copulativa. Nam sic habet versus: <sup>142</sup>

...Ticinus et Addua visu  
Caerulus .

Nam si ita poneretur, ut tu corrumpis, duplex vitium esset; <sup>143</sup>  
primo: versus non fluere. Nam doctissimi poetae et elegan-  
tissimi, qualem fuisse Claudianum monumentis litterarum  
proditum est, faciunt versus materiae accommodatos, ut pro  
materia interdum fluunt, subsistunt plerunque, aliquando  
ruunt. ut in Vergilio videre est et, si cetera non recordaris,  
satis tibi sit:

Insequitur cumulo praeruptus aquae mons.

Et esset iambus in quarto pede, quod, nisi in magno opere, <sup>144</sup>  
est vitium. Versus autem Siliii omnes corrumpis praeter illum,  
quem allegavi; sciebam enim te esse falsarium, ideo versum  
in epistola mea scripsi, quem non facile corrumperes:

Dum Romana tuae, Ticine, cadavera ripae  
Non capiant

reliqui autem vel minima transpositione corrumpuntur. Sed <sup>145</sup>  
sic dicunt omnes versus:

Ticini in Rutulos rapidam contorserat hastam,  
et alibi:

Ticini ad ripas frater iacet

Et hoc in loco, vir omnium scelestissime, in Carolum Areti- <sup>146</sup>  
num mortuum inveheris, cui, si viveret, in omnibus cederes.  
Dicit enim vitio Caroli factum, ut filius corruptus sit, quod <sup>147</sup>  
omnino est falsum, nam illum doctissimum virum et proba-

tissimum fuisse non solum homines, sed monumenta, quae nobis reliquit. ingenii et doctrinae suae declarant. Nescio, unde tibi sit tanta nequitia, ut in mortuum inveharis. Solet enim morte invidia finiri et, si tibi sensus ad hanc rem defuisent, debuisses saltem illis Horatii carminibus commoveri, quae sunt in epistolis, cum loquitur de Hercule:

. . . Diram qui contudit hydram  
 Notaque fatali portenta labore subegit,  
 Comperit invidiam supremo fine domari.  
 Urit enim fulgore suo, qui praegravat aeternum  
 Infra se positas, extinctus amabitur idem.

Sed illam regulam tuam sumptam ex magistro Alexandro, quanquam etiam Prisciano non possum non ridere, cum magister Alexander de nominibus propriis nullo pacto dicturum se affirmat, et tanta tibi caecitas est, ut ex illo fonte haurias, cum et uberiores fluvios habeamus et Priscianus non omnia posuit, nam licet dicat Priscianus, nonnulla ex se sunt tamen recte intelligenda. Dicit enim Priscianus: Inveniuntur in -tinus paenultimam corripientia, sed quae a primitivus non habent t, ut diu: diutinus. cras: crastinus. horno: hornotinus, priscus: pristinus. Nam Constantinus et Clementinus a primitivorum genitivis habent t et matutinus a matuta, mediastinus a medio et stando. sed in regula determinatis in -nus dicit, quod ea, quae derivantur, i habent longam. Et tu homo grammaticus novus dicis: Aut sunt primitivae dictiones habentes i ante n, aut derivativae; primitivae corripuntur, ut: terminus, fraxinus, pampinus; derivatae produunt i ante n, ut: equinus, bovinus, caninus, regina et alia. Unde hanc regulam sumis, Philephe, esne omnino litterarum expers, qui dicis haec? Nonne multa reperiuntur primitiva, qui habent i ante n longum: Malchinus, caminus, catinus, Altinum pro civitate? Horatius in primo sermonum:

Malchinus tunicis demissis ambulat; est, qui,

idem in eodem:

Udos cum foliis ramos urente camino,

Persius:

. . . Nigrumque amplexa catinum,  
 Cauda natat thynni

Martialis:

Aemula Baianis Altini litora villis.

Sed redeo iam ad illam stultam tuam opinionem, cum dicis mediastinum a media urbe dictum, asty enim urbem civitatemque significat. Et dicis Iuvenalem in hanc sententiam fuisse locutum, cum dixit:

Mediis sed natus Athenis,

et dicis eum significare, qui in media urbe versatur. Quae

sunt haec portentosa verborum, quae deliramenta, quo tendit Juvenalis? Dicitur mediastinus a medio et sto. stas? Dicit Priscianus et bene, quia mediastini sunt omnium ministri, sunt enim in medio et in communi ad parandum prompti; nullum genus ministrorum est tam promptum et ideo nescio, quo tendat expositio tua, praesertim cum Nonius Marcellus dicat mediastinos non solum balnearum, sed ministros et curatores aedium esse, et allegat Catonem, cuius verba ad filium sunt haec: Illi imperator tu, ille ceteris mediastinus; quasi dicat, alicui imperes et aliis sis minister. Et huius vocabuli vim expressit Horatius in epistolis:

Tu mediastinus tacita prece rura petebas,  
Nunc urbem et ludos et balnea villicus optas.

Quid enim arguit, nisi huius inconstantiam, nam cum esset omnium minister et nunc se rustica administrare oporteret et rursus ruris administrationem relinquere et ad ludos balneaque venire, quia tam ludorum, quam balnearum et ruris minister erat. Sed revertamur rursus adversus illos cacemetros.

Dicis impedimenta non aliter facere potuisse, nisi contra artem ponere. Mirum est, quod non aliquem novum pedem effinxisti, ut hanc tuam ignorantiam expurgares. Sed nescis te potuisse alio modo dicere, nam per epentheseo primo, quod est usitatissimum, praesertim cum Lucretius dicat II-o libro:

Indupedita suis perplexis ipsa figuris.

Tu igitur dicere potuisses indupedita; deinde per tmesin, quae honeste sit in dictionibus compositis, unde aliud dictum est septem subiecta trioni. Et impedio ex in et pedio componitur. Tu etiam dicere potuisses: inque pedimenta. Doctissimi enim viri hoc diviserunt, unde Lucretius III-o:

At quaecunque queat conturbari inque pediri.

Et si dicere non potuisses, nescis esse praeceptum Horatii in arte poetica, ut non debeamus in artum et angustum descendere, unde pudor et operis lex vetat pedem retrahere. In his verbis adverti te scribere, quae potes, non, quae vis. Non potuisses uti circuitione aliqua, ut id ostenderes, et tu dicis, quasi desint verba; sed unde dicis hanc tuam grammaticam, Philephe, his verbis: Cum ego vellem ostendere ordinem Veneti exercitus. Haec sunt verba. Doleo vehementer caecitatem inesse animis quorundam, qui aetatem suam in rebus inutilibus terunt. Quod si aliquando se ipsos cognorent, etiam in senectute cuperent discere, sed hoc usu venire maxime solet his, qui falsam persuasionem scientiae sibi induerunt, ut nihil arbitrentur bene dictum, nisi quod ipsi effutiunt. Unde fit, ut excussi crebro viri docti infantissimi reperiantur et

bonarum artium penitus expertes et non ratione, sed usu aliquid tenent, ubi vita trita deest, ita labuntur, ut caeci iudicentur ab omnibus. Dic mihi, Philelphe, ubinam reperisti et qua ratione formabis et pones Venetum, quod est gentile nomen pro patrio. Ea enim, quae a regionibus et provinciis derivantur, quae gentilia sunt, superantur in syllabis, ut Italia: Italus, Gallia: Gallus, Hispania: Hispanus, Appulia: Appulus, Calabria: Calaber, Carnia: Carnus, Liguria: Ligus. Etruria: Etruscus, Tuscia: Tuscus, Sabinia: Sabinus, Umbria: UMBER, Venetia: Venetus.

Ut sic Venetus stagnante pago

Nomina autem patria aut sunt civitatibus suis paria aut superiora; inferiora nunquam. Verona: Veronensis. Saena: Saenensis, Patavium: Patavinus, Brixia: Brixienis, Spoletum: Spoletanus, Roma: Romanus, Neapolis: Neopolitanus, Bononia: Bononiensis, Narnia: Narniensis, a Veneta civitate sive Venetia aut Venetianus aut Venetinus aut Venetiensis formari debet et hoc modo dicere debuisses, nam in poemate gentile pro patrio ponere non est semper vitium, sed in soluta oratione vitium maximum est, Philelphe. De insulis autem alia ratio est, non tamen de omnibus. Haec enim, quae non sunt apud auctores, secundum rationem formentur, et tu poeta novus ignoras, quid sit nomen patrium, et vis poeta ac orator vocari, cum ne grammaticam quidem noris adhuc. Sed omittamus iam ineptias tuas, quas, si vellem perscrutari, diligenter ostenderem ne unum quidem verbum in epistola tua cum ratione positum esse. Nulla enim Latinitas inest, nulla dignitas orationis, nitor nullus, omnia languent, omnia ruunt. Ad apologiam igitur et cacometros versus revertamur.

Ut te expurges, Philelphe, ponis nonnulla exempla poetarum, qui syllabas non secundum naturalem quantitatem posuerunt, et nullum tamen erroris tui exemplum reperisti, sed quasi videris ostendere tibi licere, quod aliis licuit. Sed ubi sunt exempla, inquam, Philelphe, non argumentamur per similitudinem isto pacto, sed per imitationem, et, ut ostendas te aliquid tenere, quosdam versus Iuvenalis et aliorum poetarum cacometros, ut tu iudicas, in medium affers et novos quosdam pedes excogitas in carminibus heroicis, pro quibus etsi nihil dicere deberem, quia ad rem non faciunt nostram, nec ostendis te eos fuisse imitatum, tamen, ut luce clarius intelligant homines ne illos quidem te, quos allegas, versus tenere, dicam aliquid. Et in primis dicis Iuvenalem fuisse usum antibacchio in eo versu:

Tam ieiuna fames, cum possis honestius illic  
Et tremere et farris sordes mordere canini.

Sed videas, ne pro antibacchio antiquo Baccho usum dicere volueris Iuvenalem, quia, ut accepi, libentissime Bacchum co-

lis, sed tu, Oedipodes carminum, quo pede usus est Iuvenalis, cum dixit:

Dispositis praedives hamis . . . ,

estne antibacchius vel novum vinum hoc. Quis enim unquam <sup>179</sup> audivit, Philelphe, antibacchium poni in versu heroico, sed quoniam ut puer in omnibus edocendus es:

Dicam equidem nec te suspensum, nate, tenebo,  
poetae aliquando vocalem ante vocalem abiciunt, plerunque non et, cum non abicitur, si longa est, plerunque sequente alia vocali corripitur. Lucanus: 180

Hoc solo metuens incauto ab hoste timeri,

Vergilius:

Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto,

et idem in Georgicis:

. . . Flerunt Rhodopeiae arces,

et in Aeneide:

Insulae Ionio in magno

et in Bucolico:

An, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

Aliquando remanet in quantitate sua et non abicitur sequente <sup>181</sup> vocali. Vergilius:

Posthabita coluisse Samo, hic illius arma,

et Ovidius in libro Heroidum:

O utinam tum, cum Lacedaemona classe petebat,  
Obrutus insanis esset adulter aquis,

idem in Metamorphoseon libro:

O ego ter felix, si pennis lapsa per auras.

Alia etiam regula est, quod haec littera s ab antiquis saepe <sup>182</sup> abicitur. Vergilius X-o:

Inter se coiisse viros et decernere ferro;

et Ovidius de Remedio:

Versibus comoedis soccus habendus erit,

Lucretius in libro De natura rerum:

Nam fierent subito iuvenes ex infantibus parvis,

idem:

Usque adeo largos haustus ex fontibus parvis.

S igitur plerunque abicitur, nec iniuria; ea enim littera loco <sup>183</sup> aspirationis saepe ponitur. In illo igitur carmine Iuvenalis

abicitur s littera et remanet possi et i littera non abicitur. Vergilius in Bucolico, sicut supra diximus:

An qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

Qui corripitur sequente vocali. In Iuvenale igitur est dactylus, non antibacchus: possi dactylus, nestius dactylus et illic spondeus. In alio loco:

Dispositis praedive hamis . .

abicitur s. hamus enim prima longa enuntiatur. Vergilius:

Loricam consortam hamis auroque tralicem.

De istis duobus praeteritis tulerunt et steteruntque paenultima brevis a Vergilio posita sunt, non est admirandum, quia apud vetustissimos reperitur usitatum non solum in his, quae praeteritum geminabant, sed et in aliis. Lucretius III-o De natura rerum:

Inde alii multi reges rerumque potentes  
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarint,

Terentius in Eunucho:

Postquam aediles emerunt.

Emerunt autem mediam corripuit, dicit Donatus et allegat Vergilium:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Sed cum totiens Homerum in diversitate syllabarum allegas, non amplius verbum faciant, quia satis superque superius de inconstantia Graecorum diximus, et talia exempla reperiuntur apud Latinos de hoc ablativo: eodem, ut: uno eodemque igni, qui brevis reperitur. Ratio est: impromptu aliqua in poetis et carmine ponuntur secundum naturam et illa eadem secundum compositionem, unde fit. ut in hoc adverbio: ubi bi reperitur aliquando breve. Vergilius:

Haec ubi dicta dedit . . .

Sed compositum, ut: ubique, producitur. Semper haec dictio: si longa est. Vergilius:

Si mihi non animo fixum . . .

In compositione aliquando producitur. Ovidius:

Siquis in hoc artem populo non novit amandi.

Aliquando corripitur. Lucretius in primo:

Tum porro, siquidem nihil est, quod inane vocatur.

Et tunc ponitur, ac si non esset compositum et i esset ante q, ut: liquidus, sic in eodem aliquando tanquam simplex et tunc natura longum aliquando, ut o ante d, et tunc corripitur, ut:



modo, postmodo. Ecce: semi ultima longa natura et corripitur <sup>195</sup>  
compositione. Vergilius in Bucolico:

Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est,

Vergilius in IIII-o:

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu.

De errato autem tuo in hac dictione: diuturna dicis te alibi <sup>196</sup>  
recte posuisse. Aliud non improbamus, sed, quod in hoc opere  
vidimus, iudicavimus maledictum, cum apud Ovidium in  
libro Fastorum VI-o:

Est mihi sitque, precor, nostris diuturnior annis,

Manilius III-o:

Contingat, visus monet, altera, quam diuturni.

Ubi excusas dictum a te per semiquinariam caesuram. Sed ubi <sup>197</sup>  
reperisti unquam, Philelphe, caesuram semiquinariam in una  
dictione fieri, quae brevis sit. Nam percurras omnes poetas, vi- <sup>198</sup>  
debis huiusmodi caesuras fieri in diversis dictionibus, quando  
breves sunt: in una eadem vitium est maximum. Si ita fieri <sup>199</sup>  
posset, penetraret haec: Nomen, civitas et multa alia, quae  
stare non possunt in carmine per illam semiquinariam bre-  
vem, et, si tibi hoc persuasisti, dudum depone, quaeso, hunc  
furorem et poetas Graecos allegas usos variis pedibus in car-  
mine heroico. Ego nescio, quare semper confugas ad Graeci- <sup>200</sup>  
tatem, ubi Latina exempla sunt. Sermo tibi est cum Latinis,  
nisi facias, ut Latinis Graecus et Graecis Latinus et neutris  
doctus videaris. Desunt fortassis Latina exempla tibi. Sed iam <sup>201</sup>  
nos ponamus poetarum exempla, qui diversis pedibus usi  
sunt, in quibus non est videre, ut in una et eadem dictione  
hoc fecerint, ut semiquinaria brevis fieret ex eadem dictione.

Aliquando poetae posuerunt dactylum in sexto pede ver- <sup>202</sup>  
sus heroici. Vergilius in II-o Georgicon:

Inseritur vero ex fetu nucis arbutus horrida,

idem:

Et spumas miscent argenti vivaque sulphura.

Aliquando in primo et in secundo pede reperitur tribrachus. <sup>203</sup>  
Lucretius in primo De rerum natura:

Reficit aeterno devictus lumine amoris.

Lucanus II-o:

Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi  
Iussa, Cato

Vergilius III-o Georgicon:

Invalidus etiamque tremens et iam inscius aevi.

Aliquando ponitur tribrachus in quinto pede. Catullus: 204

Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus,  
et Statius in tertio loco posuit:

Consciis horror agit eadem sub nocte sopora,  
et iambus aliquando est in quinto pede. Vergilius in II-o  
Georgicon:

Tibi pampineo gravidus autumnno.

Et proceleumaticus invenitur primo, secundo et quinto pe- 205  
dibus. Vergilius in quinto:

Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus,  
idem in II-o:

Haerent parietibus scalae

et idem in II-o:

Sectaue intexunt abietæ costas.

Iterum iambus in secundo ponitur apud Vergilium, ut: 206

Liminaque laurusque dei . . .,

et in tertio Manilius Astronomicon II-o libro:

Et dignos conor in carmina dicere cantus,

et in quarto etiam iambus ponitur apud Vergilium:

Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto.

Ubicunque igitur est in tanta adversitate pedum, sive semi- 207  
quinaria, sive semiseptenaria, sive alia caesura, brevis in di-  
versis dictionibus fit. Eapropter, dum te excusare vis, in 208  
maius et deterius vitium incidisti. Affirmas Iuvenalem in  
primo pede posuisse iambum:

Profectura domus Sicula non mitior aula.

Quod nunquam desinam admirari, cum constet spondeum 209  
posuisse. Pro autem tam breve, quam longum invenitur in  
compositione. Vergilius in VIII-o:

Quod superest, laeti bene gestis corpora rebus  
Procurate, viri .

Tibullus:

Ipse procuravi, ne possent saeva nocere  
Somnia

Iuvenalis protulit prima longa secundum regulam primitivi. 210  
Nam proficiscor. ut inquit Priscianus, a facio derivatur, quod  
non est a significatione alienum, ne admireris, Philelphe, a  
facio derivatur facesso, quod significat discedo et proficiscor.  
Titus Livius in primo ab urbe condita: . . . Aut si ad haec 211  
parum est animi, quid frustraris civitatem? quid te ut regium  
iuvenem conspici sinis? facesse hinc Tarquinius hoc est,

proficiscere; derivatur igitur a facio proficio, proficis, quod enuntiavit prima longa Horatius primo sermonum:

... Caesar, qui cogere posset,  
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non  
Quicquam proficeret . . . ,

Ovidius in Heroidibus:

Non profecturis litora bobus aras.

Hinc sumptum proficiscor, ut si diceres proficio, proficiscor, <sup>212</sup> sicuti a scio vocis activae scitor et sciscitor deponens. Invenitur etiam adverbium a proficiscor sumptum tam longum, quam breve. Lucanus:

Sternere profecto

et Lucretius libro II-o:

Quod quoniam constat, profecto, nulla quies est,

et Vergilius:

Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis.

Commune igitur est pro, sicut in procuro spondeus est et non <sup>213</sup> iambus. Haec tamen ut faciunt ad rem nostram, sed, quia tetigisti, oportuitne caecitatem tuam detegere.

Illud tamen non poteris a risu defendere, cum eandem <sup>214</sup> quantitatis rationem dicas in Tuticano et Vaticano, cum Vaticanum montem constet a vatibus dictum, quia eo potitus est populus Romanus vatum responsis, ut inquit Festus Pompeius. Hoc enim ex derivatione est longum et, cum Vaticani <sup>215</sup> alia sit ratio, sic Iuvenalis:

Et Vaticano fragiles in monte patellas.

Sed tu fortassis de secunda intelligis; et haec quoque <sup>216</sup> longa est. Martialis I-o:

In Vaticanis condita musta cadis.

Sed quid dicemus de illa tua cuticula, cum affirmes <sup>217</sup> eandem rationem cuticulae et caniculae; et verum dicis, non tamen eo pacto, quo narras. Utrunque enim natura verbi longum est, nam a verbis quartae derivantur, sicuti canicula a gannio, is, quod cannio dicebatur ab antiquis; c enim et g teste Prisciano invicem sibi cedunt. Ideo Lucretius, cum de <sup>218</sup> canibus loqueretur, cannitum dixit pro gannitum in libro V-o:

Longe alio pacto cannitum vocis adulant.

Illud igitur ni longum verbi, non nominis est, ideo apud poetas semper est longum. Persius:

En quid agis, siccas insana canicula menses  
Iam dudum coquit . . . ,

idem:

Scire erat in voto, damnosa canicula quantum  
Raderet

Manilius primo Astronomicon:

Subsequitur rapido contenta canicula cursu,  
Quo nullum terris violentius advenit astrum.

Tu igitur caecus a Prisciano deceptus credidisti Persium <sup>221</sup>  
contra regulam produxisse. Nam in quadrisyllabis brevibus  
scivisset uti proceleumatico, sicut fecit in illo versu:

Non praetoris erat stultus dare tenuia rerum.

Canicula enim voce apparet diminutivum, cum significatione <sup>222</sup>  
minime sit, nam a cane catulus et catellus diminutiva sunt et  
voce et significatione et eius femininum catella est. Martialis  
primo:

Issa est deliciae catella Publi,

et in eodem:

Castae tantus inest pudor catellae.

Licet etiam catella a catena sit diminutivum teste Prisciano, <sup>223</sup>  
unde Horatius in epistolis:

Nota refert meretricis acumina, saepe catellam,  
Saepe periscelidem raptam sibi flentis . . .

et cuticula ti longum natura et derivatione habet, a verbo  
cutio, tis antiquo derivatur; cutere enim corrumpere et stu-  
prare significat et cuticula non est, nisi mollis viri. Unde <sup>224</sup>  
Persius:

Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella  
Semper et assiduo curata cuticula sole,

Iuvenalis:

Nostra bibat vernum contracta cuticula solem.

Quod autem cutire medium producat, probat Persius:

Recutitaque sabbata palles,

est igitur natura longum. Quod ita in canicula est. Quis enim <sup>225</sup>  
persuaderet hos duos egregios poetas longum posuisse ti, nisi  
fuissent ratione moti. Non semper Prisciani auctoritate et re-  
gulis moveri debemus, plerunque et a quantitate et ratione  
recedit; recedit, nam dicit Labeonem a labe derivatum, cum  
repugnent quantitas et derivatio. Vergilius: <sup>227</sup>

Hinc mihi primæ mali labes . . .

et Persius:

. . . Nec Troades Labeonem  
Praetulerunt . .

Et Plinius libro decimo Naturalis Historiae dicat a labris La-  
beones dictos.

Cum autem diximus te contra naturam syllabae primam <sup>226</sup>

in Iohanne corripuisse, quia apud Graecos per  $\omega$  scribitur, dicis et sunt, qui dicant Galeottum ob eam rem ignorare per multa in lingua Latina et grammatica, quod ne unicam quidem litteram novit in litteris Graecis. Nemo unquam, Philel-<sup>229</sup> phe, haec dixit, nam sub Guarino praeceptore meo et unico linguae Latinae doctore itemque sub Iano Pannonio poeta excellentissimo nunc autem summo principe et Quinquecelesensi episcopo litteris Graecis dedimus operam indeque fructum cepi maximum. Nam quae ad Latinitatem spectant eru-<sup>230</sup> ditionemque nostram, melius, quam omnes, qui vivunt, adnotavimus; reliqua autem patimur aliis esse communia. Tu mecum certare vis, Philelphe, in his, quae ad Latinitatem spectant et ad cognitionem eruditionemque nostram. Sed iam apparebit, quis melius teneat haec. Dicis, Philelphe, cum te<sup>232</sup> reprehendimus, rem admodum ridiculam, quia te excusare vis, quia dictio, ut tuo verbo utar, Hebraea est, ac si traductores non traduxerint secundum quantitatem, et, licet non fecissent, attamen constat apud Graecos per  $\omega$  magnum scribi, quod longum est. Ad quod etiam adducis exemplum optimum.

Dicis enim: Orion per  $\omega$  mega scribitur, et tamen apud<sup>233</sup> Vergilium nunc prima longa, nunc brevi reperitur. Tu litteras Graecas scis, Philelphe, et hanc affers accusationem. Tu mecum in litteris Graecis certabis his argumentis. Tu die noctuque graecaris hoc pacto, ut huius rei ratio te lateat, ac si huius nominis non esset nota quantitas. Sed cur Orion ha-<sup>235</sup> beat primam communem, rationem reddit Servius in primo Aeneidos his verbis:  $\text{Ὠρίων}$ , quod Dorica lingua commutatum est, ut  $\omega$  diphthongus in  $\omega$  magnum verteretur, quod autem plerunque syllaba prima brevis reperitur hoc loco, cum sit naturaliter longa, Graecae rationis est. Nam fit detractio  $\upsilon$ <sup>236</sup> litterae et remanet  $\circ$  micron. O Philelphe, quid ad haec cum illa tua Graecitate, quae comparanda est aurulae. Aurula enim tunc apparet, cum bora non est, hiemali enim tempore latet maxime, cum usus eius sit optimus, litterae Graecae Philelphianae tunc apparent, cum usus non est.

Sed ubi est auxilio Graecitatis opus, omnia siccantur,<sup>237</sup> dilabuntur, evanescunt ita, ut vix prima elementa didicisse videatur Philelphus. Ignorat enim, quae sunt maxime communia apud Graecos et Latinos, et semper ad Graeca confugit et ista ipsum aliquando perdiderunt. Multa sunt, quae apud Graecos per  $\omega$  scribuntur et a Latinis corripiuntur, sed nota sunt. Nam: ego, duo et scio ista tria semper teste Servio correpta sunt et tamen ego apud Graecos scribitur per  $\omega$  magnum et tu Graecus in Sfortiade tua peccas, nam  $\circ$  in ego producis, hoc est, quod multos decept: credunt enim Latinam linguam et Graecam fere esse idem, cum casibus, temporibus, numeris, generibus, significationibus differant. Differunt etiam<sup>239</sup> in his, quae a Graecis sumpta sunt, differunt etiam scriptura et

quantitate et propter hoc video nonnullos deceptos, qui in Latinis graecantur vel nugantur potius. Si quis enim in litteris 240 Latinis vult recte proficere, ea discat, quae a Latinis posita sunt. Nam A. Gellius, Macrobius, Priscianus, Nonius, Festus, Asconius, Lactantius, Valerius Probus, Donatus et alii paene infiniti ita exponunt, quae linguae Latinae conducunt, ut non sit opus a Graecis mendicare. In libris enim nostris sunt, quae 241 usui nostro conveniunt. Quot, medius fidius, temporibus nostris praeclara ingenia sunt Graecanica garrulitate oppressa et extincta, decepta persuasione nonnullorum, qui, ut sibi nomen et famam acquirerent, induxerunt hanc consuetudinem, ut Graeca discantur tanquam Latinorum vera et cetera principia et Latina contemnantur. Quo fit, ut nec Graece, nec Latine 242 quicquam recte teneatur. adducuntque ad corrumpendos adulescentulorum animos Horatii auctoritatem:

. . . Vos exemplaria Graeca  
Nocturna versate manu versate diurna,

qua auctoritate seducti ad Graeca se conferunt, Latina deserunt. Non sunt nunc illa tempora, non indigemus Graecorum 243 auxilio tempestate nostra. Tempore enim Horatii philosophia, rhetorica, astrologia et omnia fere Graece legebantur, pauci admodum Latini erant, quos sine nausea legere possemus. Sed iam omnia sunt mutata, ut, qui omnes praeter se 244 barbara appellabant, nunc nulli, nisi Graeci, sint barbari. Non erant in luce ea tempestate Vergilius, Ovidius, Lucanus, Ciceronis opera et omnium Latinorum, quorum numerus est infinitus. Tullius enim vir eloquentissimus conquerebatur suis temporibus 245 historiam iacere et nullos esse Latinos, qui tolerandi essent, cum iam Latini historiae laudem prae ceteris sibi vendicent. Homerum requiret, qui habet Vergilius, Demosthenem 246 petet, ubi erit Cicero, fabulositas Herodoti desiderabitur, ubi est Livianae historiae fides, Thucydidem cupiet, qui habet Sallustium, nonne Menandrum contemnet, qui Terentium, Plautum habebit, qui facilitate, facetiis et dicendi candore et artificio sunt Graecis omnibus longe superiores? Quid erit 247 opus tumores Pindari legere, ubi sunt Horatii Flacci cultissima lyrica? Veteres comoedias tractabit, cui Persius et Iuvenalis aderunt, Herodianum requiret, qui habebit Priscianum, Callimachum discet, qui Tibullum, Propertium et Ovidium legit? Empedoclem philosophantem carmine audiet, ubi 248 erit Lucretii gravitas? Nonne a nostro et Cordubensi Seneca Graecus Sophocles se victum fatebitur? Quid de utroque Plinio referam, cum in illo maximo et amplissimo volumine totius naturae secreta versentur. Quid de Macro, 249 Varrone, cuius etiam fragmenta sunt pluris, quam Graecorum integrae pragmatiae. Sed Severinus Boethius tot tantaque scripsit, ut hic omnibus Graecis possit non modo

comparari, sed anteponi. Nam, ut omittam librum ilium<sup>250</sup> de consolatione, ubi omnia, quae scivit, aggregata contextuit: arithmeticam, musicam, dialecticam, geometriam, quas tractamus, nonne ita admiramur, ut plures, ut ita loquar, animas in eo viro fuisse arbitremur. Quid in medium affe-<sup>251</sup> ram Augustini, Hieronymi, Lactantii, Ambrosii, Cypriani, Tertulliani opera, quid tot acutissimos philosophos, cum iam Graeci nihil boni sciant, nisi per libros Latinorum in Graecam linguam traductos. Nam deficeret me dies, si singulos<sup>252</sup> percurrerem, iam tot philosophorum, theologorum, oratorum ac poetarum catervae sese mihi offerunt, ut non modo inveniri apud Graecos, sed ne fingi quidem possint his pares aut similes.

Sed ut illuc mea revertatur oratio, unde digressa est, qui<sup>253</sup> volunt doctissimi esse, hoc animo sint, ut occurrentes litteras Graecas non fugiant et fugientes non requirant. Nam si Grae-<sup>254</sup> cam linguam discunt, ut plura sciant, laudo consilium, ut si Germanicam, Gallicam, Britannicam linguas didicerint; nulla enim lingua est, in qua discere non possumus. Si autem ad<sup>255</sup> perfectionem Latinae linguae discimus, satis est nobis ea intelligere, quae ab auctoribus et grammaticis nostris posita intuemur, quae sunt melius exposita et declarata, quam a Graecis et praesertim neotericis, quia nunc nullus est, qui teneat litte-<sup>256</sup> ras Graecas bene. Et ideo cum maioribus nostris plerunque novi isti Graeci discrepant, nam, posteaquam Graeci coepe-<sup>257</sup> runt servire, et studia amiserunt et libros, sine quibus nemo potest esse apprime eruditus. Accedit etiam, quod Latini omnia elegantius et perfectius etiam ab illis sumpta Cicerone<sup>258</sup> teste scripserunt. Velle igitur discere, quae conducunt Latinae linguae, ex libris Graecis Latinis omissis est a perfectis ad imperfecta discedere. Nam ipsi Graeci, qui sapiunt, di-<sup>259</sup> scunt linguam Latinam, quae et cultior et ornatior et gravior Graeca est. De his satis. Nunc ad rem nostram revertamur.

Dicis te eadem ratione corripuisse primam syllabam Daciae, qua Vergilius corripit interdum o, ut:

Sidoniam puer ire parat

Do corripit; et idem:

. . . Memini Sidona venire

produxit; exemplum placet. Credebam, Philelphe, te aliquid<sup>260</sup> boni dicturum. Non facimus verba de Sidone nunc, quia et ibi ratio est, sed de Dacia reperias apud idoneum prima brevi positum et tunc erit mihi abunde satisfactum. Sed hoc non<sup>261</sup> fecisti, nec unquam facere poteris, ideo tace. Sed quid opus est totiens his tuis ineptiis aures nostras onerare?

Dicis Arabiam poni apud Propertium prima longa, cum<sup>262</sup> apud alios brevi prima enuntietur, et nihil ad rem testimonium adducis Lucani:

Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,  
et Propertius:

Et domus intactae te tremit Arabiae.

Nonne multa reperiuntur communia apud poetas, quae sunt <sup>263</sup>  
re vera communia. Haec, Philelphe, tibi concedantur, nam si  
Gradivum prima longa enuntiavit Vergilius, ut:

Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis,  
et Ovidius in libro Metamorphoseon corripuit:

Et genus a magno ducentem forte Gradivo.

Videmus syllabam esse communem et ideo non daretur tibi <sup>264</sup>  
vitio, si aliquid ad imitationem fecisses. Sed non ad rem, ut  
dixi, allegas Lucanum, quia gentilia nomina non semper suae  
gentis quantitatem servant. Vergilius in primo: <sup>265</sup>

Italiam fato profugus Lavinaque venit  
idem in eodem gentile nomen corripuit:

Saxa vocant Itali

et alibi produxit in VII-o:

.. Quibus Itala iam tum  
Floruerit terra alma viris

et Propertius derivatum ab Arabia longum posuit in primo:

Illa neque Arabium metuit transcendere limen.

In derivatis non servatur semper quantitas primitivorum, <sup>266</sup>  
nam Vergilius, ut ostensum est, nunc corripuit, produxit non-  
nunquam et tu pro argumento maximo Arabiam posuisti,  
cum non solum in quantitate, sed in gentili nomine variatur.  
Nam dicitur Arabus et Arabs, ut Lucanus: <sup>267</sup>

Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,  
Vergilius:

Hyrcanis Arabisve parat indicere bellum.

Grammatica teste Quintiliano constat ratione, auctori- <sup>268</sup>  
tate, vetustate. Ubi deest auctoritas, ad rationem, ubi utrun-  
que, ad vetustatem confugitur. Nam non omnium, quae a  
maioribus nostris tradita sunt, ratio reddi potest, oportet igitur  
in his, ubi habemus idoneorum auctoritatem, illam sequamur.  
Nihil enim fuit a nobis reprehensum, nisi quod factum est <sup>269</sup>  
contra auctoritatem doctissimorum virorum. Ad alia autem  
errata et praesertim, cum de nomine civitatis Hastae te errasse  
convincimus, respondes, nescio, quas fabellas aniles dicis  
fuisse secutum, quod dicitur. Nam Ast vocatur; tu relinques <sup>270</sup>  
in opere tuo Latina vocabula et confugies ad id, quod vul-  
gare est et contra rationem. Ista certe in omnibus erroribus <sup>271</sup>



tuis fuisset efficax excusatio, si, ut dicis, te maluisse discere baiolorum verba, quam Latinorum, pudebat te dicere, ignorasse tamen honestius fuisset ignorantiam fateri, quam sic pueriliter se defendere. Credo te secutum regulam illam paedagogorum et alienorum a litteris, qui dicunt et crebris usurpant sermonibus, quod ignoratur, iuxta vulgare ponendum esse. Haec fuit, tibi, Philelphæ, maxima regula, sicuti etiam de mitra fecisti, cuius significationem te ignorasse satis clare ostendis. Sed iam iudico parentes maxime imprudentes, qui filios suos praeceptoribus erudiendos in lingua Latina tradunt, nam secundum Philelphum vernacula lingua emendatissima est et Orlandi et Astulphi deliramenta Romanis et veris historiis utiliora iudicantur et verba coquinae pro Latinis habenda censet Philelphus. Utitur etiam Philelphus alia ratione. Dicit: Solemus dicere asty et astiotin, hoc est urbanum et urbem. sicuti Atheniensem et Athenas. Non quaerimus hoc, iam scimus, sed dicimus oppidum hastam Latine vocari, quod tu vocabuli et nominis inscius asty, id est, oppidum vocas, quod est appellativum.

Quod autem Narniensem me vocas et Nequinatem in opprobrium, mihi certe rem gratissimam effecisti. Nam maxime gloriator ex ea urbe originem traxisse, quae semper fuit fecunda mater virorum. Nam aliae urbes Italiae aut novae sunt aut iam effetae. ista et olim summos viros produxit et nunc maxime generat ita, ut nihil ab illa sua fertilitate degenerarit. In ea enim mundi lumina genita sunt et imperatores et pontifices maximi. Nam ut omittam Nervam Cocceium, qui tantae probitatis ac dignitatis fuit, ut in rebus maximis ab eo Octaviano legatus fuerit saepe ad magnos viros, et eum Nervam, qui crescentibus annis et summa probitate denique post Domitianum imperium Romae tenuit et litteris, fide, constantia, probitate ornatus multa salutaria in rem publicam Romanam contulit et praesertim, cum edictum fecit, ut omnes exules ab exilio revocarentur, propter quod et sanctus Iohannes evangelista fuit ab exilio revocatus, et hunc Cocceium Nervam luculentissimo epigrammate decoravit Martialis, quanquam satis a Sexto Aurelio litteris, moribus et integritate laudatur. Non referam etiam Narniensem nostrum fuisse Iohaninem XII. pontificem maximum, qui ob totius fidei utilitatem haud mediocria mala passus est. Sed hoc nobis satis sit hanc Romanorum coloniam a Flaminio deductam eam esse, ut tempestate nostra, in qua perpauca reperiuntur egregii, in ea germinent duces maximi, iurisconsulti, oratores, cardinales et in omni virtutum genere viri excellentes. Nulla unquam aetas obliviscetur Gattamelatam, qui rebus gestis potuisset cum antiquitate certare, de quo egregius poeta Porcellius egregio illo suo epitaphio ita cecinit:

Dux bello egregius, dux et victricibus armis

Inclitus atque animis Gattamelata fui,  
Narnia me genuit

Et semper durabit Iohannes Antónius Gattamelatae filius, qui <sup>282</sup>  
aetate iuvenili magnam de se spem omnibus ostendens diem  
suum obiit, cuius mores satis superque noscere potuisses ex  
illo nostro epitaphio:

Te quoque, Iohannes Antoni, immitia fata  
Morte, licet doleant, eripuerunt tamen.  
Clara tibi facies, nec non victricia signa  
Inque acie virtus fulminis instar erat.  
Unica spes hominum, nam tu iuvenilibus annis  
Ingenio fueras et gravitate senex.  
Gattamelata pater, decorant pietasque fidesque  
Ingenium, mores, nomen et eloquium.

Quid in medium afferam Berardum cardinalem episcopum <sup>283</sup>  
Spoletanum in civili ac pontificio iure excellentissimum adeo,  
ut non minus cardinalatum gravitate, constantia, prudentia,  
fide et integritate decorarit, quam multis cardinalibus decori  
ac ornamento sua haec dignitas fuerit. Deficeret me dies, si <sup>284</sup>  
Taddeum Narniensem iurisconsultum, Iohachinum consistorialem  
advocatum, cuius tam mores quam scientia mirum in  
modum omnibus placuerunt, et, si eos commemoravero, qui  
aetate nostra in militia ordines duxerunt, sed haec tanquam  
omnibus nota relinquamus. Accedit etiam, quod ea urbs tum <sup>285</sup>  
varietate fructuum, tum copia, tum elegantia inter alias tan-  
tum caput extulit urbes, ut Perusini omnium mortalium et  
fortissimi et sapientissimi elegantiora et suaviora Persica du-  
racina et flava Narniensia nominent. Non referam gelidos <sup>286</sup>  
fontes et saluberrimos et Naris fluminis a poeta Vergilio cele-  
brati iocundos flexus, agrorum fertilitatem, amoenitatem sil-  
varum et salubritatem aeris ac olivarum silvas tum ingentis-  
simas tum copiosissimas. Quid, quod sola haec urbs peculiari <sup>287</sup>  
laude floret et praesertim in una parte, quae adeo iocundi  
ac grati saporis est, ut ad hominum salutem a diis immorta-  
libus nobis tributa esse videatur. Non referam in ficis sum- <sup>288</sup>  
mam esse et suavitatem et pulchritudinem et praesertim in  
albis cucurbitinis, asinastris biferis. Quem igitur sanae mentis <sup>289</sup>  
pudebit hinc traxisse originem, ubi non solum poma, verum  
etiam homines aliis longe meliores mirum in modum pullulent?

Quod autem a nequitia Nequinum olim dictum putas, <sup>290</sup>  
ostendis te penitus litterarum expertem; sed Nequinum dic-  
tum a nequeo, is et eo, is. Erat enim oppidum hoc olim <sup>291</sup>  
altissimis montibus collocatum, ubi Narnia nunc est, et, quia  
prae altitudine iniri et intrari nequiverat, ideo Nequinum  
dictum, ad quod allusit Martialis, cum de Narnia illud est  
dictum:

. Ancipiti vix adeunda iugo.

Sed cum dicis me affirmasse in epistola mea civitates a Graecis non fuisse conditas, nisi in litoribus, falsum est: dixi Hastam non constare a Graecis conditam. Unum tamen admiratus sum, cum dicis Antenorem Graecum, cum fuerit Troianus, et quod Patavium a litore distet, cum etiam hoc sit contra historiam, fuit enim in litore conditum.

Sed ad illam mitram tuam et relliquias descendamus. Nihil aliud affers pro defensione, nisi quod, si de deo bene pieque sentirem, nunquam improbarem in archiepiscopo mitram et relliquias in viris bonitate praestantibus. Iam victus sum, Philelphe. Quis enim huic argumento respondebit, estne tuum hoc, Philelphe? — nimis angor. O acutissimum hominem, vel, ut verius loquar, o asinum plumbeum. Immo, quia pie sentio, non placet archiepiscopos et sanctissimos viros meretricio habitu ornari et calamitatis vocabulum, hoc est, relliquias sanctis viris attribui. Sed cum bonitatem posueris pro integritate, licet aliquantisper erraveris, una cum aliis ineptiis Philelphi admittamus. Tamen et ecclesiastica pro pia et sancta non memini me legisse, cum ecclesia dicatur congregatio. Non in sacris litteris legitur: Cantate domino canticum novum? laus eius in ecclesia sanctorum.

Sed de Amore et Cupidine caeco, nescio, quid narras, cum tu non de Ioco neque Cupidine, qui plura significat, sed de puero dixisti his verbis:

. Puer hic et caecus et amens.

Nescio, recte necne verba tua intellexerim. Sed crederesne unquam hoc, quod plurimum tibi debeo, quod me magistrum vocas. Hoc enim nomine et salvator noster gavisus est, cum discipulis suis dixit: Vos vocatis me: magister et domine, et benedicitis. Sum etenim sic, Philelphe, ego plurimum gaudeo a te hoc tanto nomine fuisse decoratum praesertim, cum dicat Paulus iurisconsultus de verborum significatione magistros eos appellari, quibus praecipua cura rerum incumbit et qui magis quam ceteri diligentiam et sollicitudinem rebus, quibus praesint, debent. Ludus autem Graece schola. Cur igitur non laeter, cum praecipuam curam mihi tanquam viro docto scholae mandatam videam, ut te et alios corrigam. Sed cum de me dicis, quod

... Laeva in parte mamillae  
Nil salit Arcadico . .

inveni tibi en contra illud dictum arbitrale Persii:

Tun, vetule, auriculis alienis colligis escas.

Auriculis conviciis solet Franciscus argumenta solvere, sic purgas obiecta? Et in fine tuae invectivae tanquam optimus orator exquisita quaedam relinquis, ut animis auditorum inhaerescant.

Gloriaris te fuisse inventorem duarum rerum, ut milites<sup>306</sup> auratos diceres, qui equites sunt, et stapades vocares eos orbes ferreos, in quibus pedes quiescunt. Quas stapades retinacula<sup>307</sup> vocas, cum retinacula sint lora orbium ferreorum appellanda et non ipsi orbes ferrei, vel, ut ipse dicis, stapades, sed estne tuum hoc inventum, Philelphe, credebam equidem stabulariorum et coquorum inventum fuisse, sed tu tanquam caelitus missa vocabula haec vendicas tibi? O ridiculum hominem!<sup>308</sup> Militem vocas, qui eques est, nam miles, et qui pedes et eques est, dicitur, tu tamen vafer, ut te ipsum exprimeres, maluisti militem, quam equitem te appellare, quia nunc pedes incedis, cum alias eques per Mediolanum vagareris, nam, si te equitem vocares, adessent statim, qui arguerent te peditem, sed, si peditem diceres, multi acclamarent, qui te equitem viderunt. Sed astute egisti, elegisti enim vocabulum commune, ut in<sup>309</sup> neutra parte arguereris, quod, etsi tibi placuerit, sunt multi te honoratiores, qui nollent tam viles esse, ut sub numero peditum comprehendantur. Ideo, Philelphe, patere aequo animo<sup>310</sup> alios non tecum sentire. Sed veniamus ad seria! Mos hic, qui<sup>311</sup> nunc inter equites est, ut bullam auream gestent, manavit ab antiquis et primo fuit puerorum insigne, eorum praesertim, quorum parentes equo meruerant, id est, militaverant. quod ita fuisse ostendit Plinius libro XXXIII. Naturalis Historiae his verbis: Sed a Prisco Tarquinio omnium primo filium, cum praetextae annis occidisset hostem, bulla aurea donatum constat, unde mos bullae duravit, ut eorum, qui equo meruissent, filii insigne haberent. Hactenus Plinius. Quis enim non intelli-<sup>312</sup>gat, si filiis licebat, quod patribus, et licuisset, si aetas pateretur, nam puerile erat ornamentum, sed paulatim defluxit, ut in multis videmus, ut a pueris ad homines et viros iam haec ornamenta venirent. Multa enim variata sunt in urbe Roma.<sup>313</sup> Nam olim non erat commune omnium aurum portare; in familia enim inquilinorum nec etiam feminis aurum habere mos fuit, sed paulatim res defluxit, ut etiam loro aureo uterentur. De calcaribus autem aureis et aliis huiusmodi quid opus est<sup>314</sup> verba facere, cum Brutus in campis Philippicis saepe conquestus sit et ad amicos scripserit tantum adolevisse auri luxuriam in militia, ut fibulas quoque tribunitias ex auro gestari fremeret. Cum autem dicis, si equitem dixeris, aut ex ordine<sup>315</sup> equestri diminuas de dignitate plurimum, non enim, qui foret ex ordine equestri, magna versabatur in laude, cum in eo ordine nulli essent patricii, nulli nobiles, sed multi, quorum studium haberetur infame. An minus legerimus humani gene-<sup>316</sup>ris redemptori ab Hebraeis dari solitum probro, quod publicanorum consuetudine uteretur. At fuisse publicanos ex<sup>317</sup> ordine equestri declarat Cicero in ea oratione, quae pro lege Manilia scribitur. Hactenus Philelphus. Plurimum, inquis, diminues de dignitate, si equitem aut ex ordine equestri dixe-

ris. Quam ob rem dic mihi, quia nulli viri nobiles erant, quid<sup>318</sup> dicis, Philelphe, nescis rem esse mutatam post consulatum Ciceronis et equestrem fuisse postea ordinem dignissimum, quod ita esse confirmat Plinius libro XXXIII. Naturalis Historiae, cuius verba sunt haec: M. Cicero deinde stabilivit equestre nomen ex eo se ordine profectum esse celebrans et eius vires popularitate peculiari quaerens. Ab illo tempore plane hoc tertium corpus in rep. statutum est coepitque adici senatui et plebi equestris ordo, qua de causa et nunc post populum scribitur, quia novissime coeptus est adici. Hucusque Plinius. Quidnam tibi videtur, iudicasne modo ita esse, cum mutata<sup>319</sup> sint tempora et iam ordo equester esset dignitatis maximae. Verte aliquando aciem oculi tui ad libros Latinos et non haec somnia narrabis.

Quod autem dicis salvatori nostro fuisse probro datum,<sup>320</sup> quia cum publicanis versabatur, non ideo Christum improbarunt, quia cum equestris ordinis viris consuetudinem haberet, nam cum caecis, mendicis et humilibus admodum personis versatus est, sed vitio dabant, quia cum publicanis et malis viris, qui enim publica exigunt, coguntur aliquando id extorquere, quod minime iustum est. Unde quidam homo<sup>321</sup> facetus quasi publicos canes dictos ioco arbitratus est. Sed quale argumentum est hoc tuum, cum Iudaei, pessimum genus hominum et gens, ut inquit Plinius, contumelia numinum insignis, vitio verterent Christo etiam ea, quae erant admodum approbanda, hoc igitur datum est vitio, non quia cum equestris ordinis viris, sed quia cum publicanis, qui ex ordine equestri erant, habuit consuetudinem.

Sed illam tuam stapadem a risu non possumus defen-<sup>322</sup> dere. Nam maiores nostri sella utebantur et eam intelligebant cum his omnibus, quae sunt necessaria ad equitandum, et uno vocabulo appellabant. Multa enim sunt, quae ex pluri-<sup>323</sup> bus constant et unum habent vocabulum, sicut thorax, ocreae. Nam cum dixeris ocreas, fibulas, etiam et corigias et clavicu-<sup>324</sup> los et maculas ferras dependentes, ex quibus constant, intelliges, galeae etiam appellatione omnia, quae galeant, conficiunt, comprehenduntur, sic sellae appellatione etiam ferrei orbes, in quibus quiescunt pedes, intelliguntur, sed, cum non fuisse in usu apud maiores nostros affirmas, ostendis et militiae et litterarum te imperitum. Quid enim facere potuissent et quo<sup>325</sup> pacto equites assurrexissent, sicuti legimus plerumque, et tanta agilitate fuissent usi, nisi illos habuissent orbes. Quod<sup>326</sup> licet ex Ovidio coniectare possemus in libro Heroidum:

Exiguo flexos miror in orbe pedes,

licet multi ad equum, non equitem referant, tamen evidentius<sup>327</sup> est, cum intuemur imagines antiquorum, non eas, quas togatas vocant, quae nudae erant, ut sculptoris artificium ostendere-

tur, non quia nudi incederent, sed alias et praesertim velatas. Caesar enim dictator passus est loricatam statuam in foro suo sibi dicari et in velatis statuīs possumus comprehendere. Nam memini apud excellentissimam poetam Porcelium vidisse imaginem antiquissimam Constantini imperatoris equestrem cum omnibus phaleris et ornamentis, quibus nunc utimur, nam et postilenaē non deerant et pectorales phalerae et orbis ferrei aderant; non igitur dicendum est antiquis defuisse. Sed quoniam auratum te dicis, optandum est a diis immortalibus, ut in statuam vertaris, quod non erit novum: fecisse aliquando deum hoc sacrae testantur litterae, cum Loth uxorem in statuam salis convertit. Non erit igitur impudens votum praesertim, cum sis auratus, aurata efficeris statua, ne filii tui inopia fortassis impediti non possint Acilium Glabriōnem imitari, qui primus in aede Pietatis patri auratam statuam posuit. Statuarii enim omnes huic tam verae statuae cedent, licet revivisceret Chares ille Lydius, Lysippi discipulus, qui colossum Rhodi fecit. Optandum etiam est, ut dii immortales mutent faciem, nam esset cicatricosa statua, quia, ut audio, tibi

... Fœda cicatrix  
 Saetosam laevi frontem turpaverat oris  
 Campanum in morbum

quod etiam erit tolerandum, non enim homines sibi statuas dedicant in omnibus similes praesertim, cum legerimus Accium poetam in aede Camenarum maxima forma statuam sibi posuisse, cum ipse admodum brevis fuisset.

Cum autem de te praedicas, imitaris militem gloriosum. Narras enim huiusmodi deliramenta tua cum irrisione audientum. Nam in omni genere dicendi ineptus es, non igitur mirum est, si omnibus es ludibrio. Nam ceteri poetae principum gesta carmine illustrarunt, tu autem opus tuum fama et nomine invictissimi, sapientissimi, fortunatissimi ducis sustentas. Qui enim percurrunt opus tuum, non ob aliam rem legunt, nisi ut gesta Francisci Sfortiae intueantur. quae ita perplexa et inculta oratione tibi posita sunt, ut, si non essent sua ipsorum claritate conspicua, omnia iacerent haesitarentque in tenebris. Quod certe sapientissimus dux non ignorat, sed tibi stipendium dedit, ut studendi et discendi aliquando daretur otium. Vale.

## ANNOTATIONES CRITICAE.

*n. m.: nota marginalis — s. m.: secunda manus.*

*Ded.* 10. rediderit 22. philophi Gonzago 26. tribuet. Finis.

*Inv. I. Tit.* Galeotti Martii invectiva in (in *corr.* ex contra) Franciscum Philelphum. Galeottus Martius (*post* Martius *del. domino*) Franciscus Philelpho salutem 3. ladabilius 9. secundam 11. Mutescae (Aen. 7. 711.) - 16. ne] non (Hor. Epist. II, 3, 152.) - 20. fundit (Hor. Epist. II, 3, 352.) - 21. Dum dum 23. Faustorum 35. Maeonia] Mocnia (Aen. 4, 216.) 39. Polimnia] Pollimnia - 46. heptimemerim.

*Inv. II.* 7. hipodidascalorum - 18. annis] armis 20. arithmetica - 32. Agamenon: Agamennona 34. Agamenone 40. Penestre (Aen. 3, 561.) - Penestre 64. Ptholemei Avenare] a venere Latine] Latinae 67. Ptholomeo - qui] cui 68. Ptholomaeo 73. Pindari Dicturumne] me] Dicturum mene (Maer. V, 1, 4.) - putas—quod in—paene ad verbum—transcripsit—poetas Graecos] putatis—et quod in—ad verbum paene—transcripsit—Graecos poetas: Maer. V, 1, 4. - 74. *supra* diapasmate *scr.* confectione 80. similis] socius: Cic. De orat. I, 70. - 85. uti—propiora] ubi—propiora (Hor. Sat. I, 4, 41—42.) - 95. Polycletus] Polycetetus (cf. 99.: Iuv. 3, 215.) 98. scissasque (Iuv. II, 262.) 99. Euphranoris] Epiphanoris (Iuv. 3, 215.) - 115. fegmenta - 120. pentimemeri - 121. pentimemeris 124. Assensere] Dissensere: Ovid. Fast. 5, 9. - 125. Et iuvenum—referre Et pugilem—primum (Hor. Epist. II, 3, 84—85.) 127. dermis] vento: Hor. Carm. I, 25, 12. - nec] neque Hor. Carm. II, 16, 8. *post* conveniunt *s. m. n. m.:* et his, qui iocunditatem tantum sectantur - 130. tua] tuo - 131. *Τερψικορη τε—Πολλυμνια τε* (Hes. Theog. 78.) - 132. *τε*] te 136. eiarinon—est nihil] eairon—nihil est (Mart. IX, 11, 13—14.) disertis: Mart. IX, 11, 16. 148. pergravet (Hor. Epist. II, 1, 13.) - 149. propiis 150. horno] hormo - 151. mediestinus -nus] mus - 154. Nigrumque] rubrumque: Pers. 5, 182. Caudat (Pers. 5, 183.) - 156. sed] se (Iuv. 3, 80.) - 158. balneatorum—mediestinis (Non. 143.) - 159. prece] pede (Hor. Epist. I, 14, 14.) 162. Indupledita (Lucr. 2, 102.) - 163. temesim - 168. effutiunt *corr.* ex effundunt 177. camini (Iuv. 5, 11.) - 180. Flerunt] Fuerunt (Verg. Georg. 4, 460.) in Aeneide *om.* (sc. Verg. Aen. 3, 211.) - ipsi *om.* (Verg. Ecl. 8, 108.) fingant (Verg. Ecl. 8, 108.) 181. tum *om.* (Ovid. Her. 1, 5.) 182. iuvenes subito: Lucr. 1, 180. 184. ipsi *om.* (Verg. Ecl. 8, 108.) - 187. Posteaquam (Ter. Eun. Prol. 20.) - 193. siquidem—vocatur] si nil esset, quod inane vocaret: Lucr. 1, 514. 195. Semiputa (Verg. Ecl. 2, 70.) - 202. ex—horrida] et nucis arbutus horrida fetu: Verg. Georg. 1, 69. 204. gravidus] Gravidus (Verg. Georg. 2, 5.) 205. vastos *om.* (Verg. Aen. 5, 432.) 203. Iracraetura: Iuv. 6, 336. domo (Iuv. 6, 336.) 209. VIII-o (Verg. Aen. 9, 157.) letis (Verg. Aen. 9, 157.) - 211. hinc] hic (Liv. I, 47, 5.) 212. Tyrisque (Verg. Aen. 1, 731.) - 219. V-o] IIII-o (Lucr. 5, 1057.) Longo—gannitu: Lucr. 5, 1057. - 220. agis] ais (Pers. 3, 5.) - 222. primo] secundo (Mart. I, 109, 5.) 224. curata] contracta (Pers. 4, 18.) 225. pelles (Pers. 5, 184.) - 226. *sententia corrupta*; aurulae et Aurula in *corr.*, certo legi nequeunt bora] bona - 238. magna - 242. deserunt] deferunt - 246. petat - 252. theologicozum 255. *supra* neotericis *scr.* s. m. iunioribus - 267. parat—bellum] parant seu tendere ad Indos: Verg. Aen. 7, 605. - 274. maximae - 278. Cocchieum (bis) 287. parte] passa - 290. eo] meo 304. arbitraro vetulae - 318. deinde] demum: Plin. Nat. Hist. 33, 34. - profectum] pervectum (Plin. Nat. Hist. 33, 34.) - statutum factum—equester: Plin. Nat. Hist. 33, 34. coeptus] coeptum (Plin. Nat. Hist. 33, 34.) 325. facere] facero *corr.* ex fecero — *usi in corr.*, certo legi nequit 336. preplexa.

## INDEX NOMINUM.

*D: Dedicatio — I.: Invectiva I. — II.: Invectiva II. — t.: titulus — v.: vide*

- Accius* II, 333.  
*Achilleis* II, 34.  
*Achilles* I, 34.  
*Acilius Glabrio, M'. (filius)* II, 331.  
*Acron* II, 120.  
*Addua* II, 141-42.  
*Aeneas* I, 9, 16 (*quater*).  
*Aenxis* I, 13. II, 35, 56, 73, 180, 235.  
*Agamemno(n)* II, 32 (*bis*), 34 (*bis*).  
*Albumasar* II, 64.  
*Alexander, magister* II, 149 (*bis*).  
*Alexandrinus philosophus (v. Ptolemaeus)* II, 68.  
*Almagestum (Ptolemaei)* II, 64.  
*Altinum* II, 153-54.  
*Ambrosius, Sanctus* I, 35. II, 251.  
*Amor* I, 41-42. II, 299.  
*Anchises* II, 38.  
*Antaeus* I, 17.  
*Antenor* II, 293.  
*Aonius cantus* I, 11.  
*Apollo* II, 73, 129.  
*Apollonius* II, 73.  
*Appulia* II, 174.  
*Appulus* II, 174.  
*Arabes* II, 64, 262, 267.  
*Arabia* II, 262 (*bis*), 265-66.  
*Arabium limen* II, 265.  
*Arabs* II, 68, 267.  
*Arabus* II, 267.  
*Aratus* II, 73.  
*Arcadicus* II, 304.  
*Arcas* II, 32 (*bis*).  
*Archemorus* I, 17.  
*Ares* II, 136 (*bis*), 138 (*bis*).  
*\*Aρης* II, 139 (*bis*).  
*Aretinus, Carolus* II, 146-47.  
*Argiva castra* II, 50.  
*Artaxerxes* D, 25.  
*Asconius* II, 240.  
*Ast (v. Hasta)* II, 270.  
*Astronomica (Manilii)* II, 64, 206, 220.  
*Astulphus* II, 274.  
*Asty* I, 29.  
*Athenae* II, 156, 275.  
*Atheniensis* II, 275.  
*Athesis* I, 11.  
*Attica eloquentia* I, 3.  
*Augustinus, Sanctus* II, 251.  
*Augustus Caesar, Octavianus* II, 211, 278.  
*Aurelius, Sextus* II, 278.  
*Ausoniae res* I, 31.  
*Avenare, Abram* II, 64.  
*Bacchus* II, 178.  
*Baianae villae* II, 154.  
*Berardus cardinalis, episcopus Spoletanus* II, 233.  
*Boethius, Severinus* II, 249.  
*Bononia* II, 172.  
*Bononiensis* II, 172.  
*Bornius, iuriconsultus* II, 5.  
*Britannia* II, 17.  
*Britannica lingua* II, 254.  
*Brixia* II, 172.  
*Brixiensis* II, 172.  
*Brutus, M. Iunius* II, 314.  
*Bucolicum (carmen Vergilii)* II, 180, 184, 195.  
*Caesar, C. Iulius* II, 328.  
*Calaber* II, 171.  
*Calabria* II, 171.  
*Callimachus* II, 247.  
*Calliope* II, 108, 111.  
*Camena (v. Musa)* II, 111.  
*Camenae (v. Musae)* II, 109, 335.  
*Carnia* II, 171.  
*Carnus* II, 171.  
*Carpathium nomen* II, 132.  
*Cassandra* II, 99.  
*Catilina* II, 48.  
*Cato Maior* II, 158. — *Uticensis* II, 203.  
*Catullus* II, 204.  
*Centaurus (nomen navis)* II, 44.  
*Centiloquium* II, 64.  
*Chaldaei* II, 59, 64.  
*Chaldaeus* II, 68, 112.  
*Chares Lydius* II, 332.  
*Christus* D, t. II, 320-21.  
*Cicero, M. Tullius* D, 21. I, 20. II, 80, 114, 244-46, 257, 317, 318 (*bis*).  
*Claudianus* D, 16. I, 31. II, 107, 141 (*bis*), 143.  
*Clementinus* II, 151.  
*Concinnentia* II, 111.  
*Constantinopolitana Roma (Constantinopolis)* II, 93.  
*Constantinus* II, 151. — *imperator* II, *Cordubensis* Seneca II, 248.  
*Cremona* I, 11.  
*Cupido* I, 42 (*bis*), 299 (*bis*).  
*Cyprianus* II, 251.



- Cytherea* (v. *Venus*) I, 15.  
*Laci* vultures I, 40.  
*Lacia* I, 40. II, 259-60.  
*Damascus* I, 11.  
*Danai* I, 34. II, 34.  
*Dares* II, 50 (*bis*).  
*Demosthenes* II, 246.  
*De rerum natura* (Lucretii) II, 162, 167, 203.  
*Diomedes* II, 50 (*bis*).  
*Domitianus* II, 278.  
*Donatus* II, 43, 188, 240.  
*Dorica lingua* II, 235.  
*Dorius cantus* II, 111.  
*Empedocles* II, 248.  
*Ἐπειώ* II, 131.  
*Eridanus* II, 122.  
*Etruria* II, 171.  
*Etruscus* II, 171.  
*Eunuchus* (fabula Terentii) II, 45, 187.  
*Euphranor* II, 99.  
*Europa* D, 14.  
*Euterpe* II, 118, 121.  
*Fasti* (Ovidii) I, 23, 39. II, 124, 196.  
*Festus*, S. Pompeius II, 214, 240.  
*Firmicus Maternus*, Iulius II, 62.  
*Flaminius* II, 280.  
*Fortia* (v. *Stortia*) II, 48.  
*Galeottus Martius*, v. *Martius*.  
*Gallia* II, 17, 171.  
*Gallica lingua* II, 254.  
*Gallus* II, 171.  
*Gattamelata*, Erasmus II, 281 (*bis*).  
   — Iohannes Antonius II, 282 (*ter*).  
*Gellius*, A. II, 240.  
*Georgica* (Vergilii) II, 73, 122, 180, 202-04.  
*Germanica lingua* II, 254.  
*Getica arva* II, 263.  
*Geticus triumphus* I, 31.  
*Gonzaga*, Franciscus de D, 19, 22.  
*Gradivus* II, 263 (*ter*).  
*Graeca* I, 30. II, 38, 94, 134, 237, 241-42.  
   — exemplaria II, 242.  
*Graeca* dictio I, 30. — interpretatio II, 108. — lingua II, 238, 251, 254, 258, — ratio II, 235.  
*Graecae litterae* II, 92, 228-29, 233-34, 236, 253, 255.  
*Graecanica garrulitas* II, 241. — instabilitas II, 136.  
*Graecanicum proverbium* II, 3.  
*Graece* I, 4. II, 31-32, 45, 54, 242-43, 503.  
*Graeci* I, 32. II, 47, 75, 105, 155-37, 189, 200, 228, 232, 237 (*bis*), 238-40, 243-44, 246, 249 (*bis*), 251-52, 255, 256, (*bis*), 292 (*bis*). — libri II, 257. — poetae II, 73, 134, 199.  
*Graecitas* II, 200, 236-37.  
*Graecula assentatio* II, 94.  
*Graeculus* II, 94.  
*Graecum* I, 300.  
*Graecus* II, 200, 238, — Antenor II, 293. — Sophocles II, 248.  
*Graia mitella* I, 38.  
*Guarinus Veronensis* II, 229.  
*Hali* II, 64.  
*Harmonia* II, 111.  
*Hasta* (v. *Ast*) I, 31 (*bis*). II, 269, 292.  
*Hebraea dictio* II, 232.  
*Hebraei* II, 316.  
*Hercules* I, 17. II, 148.  
*Herodianus* II, 247.  
*Herodotus* II, 246.  
*Heroides* (Ovidii) II, 181, 211, 326.  
*Hesiodus* II, 73 (*bis*), 110, 130-32.  
*Hieronymus*, Sanctus II, 251.  
*Hispania* II, 17, 171.  
*Hispanus* II, 171.  
*Historia Naturalis* (Plinii Maioris) II, 227, 311, 318.  
*Homeromastix* (Zoilus) II, 52.  
*Homerus* II, 56 (*bis*), 73, 138-39, 189, 246.  
*Horatius Flaccus*, Q. I, 3, 7, 9, 20. II, 10, 47, 83-85, 118, 125, 127, 130, 148, 154, 159, 166, 211, 223, 242-43, 247.  
*Hungaria* D, 14.  
*Hymenaeus* II, 204.  
*Hyranti* II, 267.  
*Ianus Pannonius*, v. *Pannonius*.  
*Iliades* II, 52.  
*Ilias* II, 51 (*ter*).  
*Ilium* (v. *Ilium*) II, 40.  
*Ilium* (v. *Ilium*) II, 40, 56, 180.  
*Indus elephantus* II, 2.  
*Iocus* II, 299.  
*Iohachinus*, consistorialis cardinalis II, 284.  
*Iohannes* I, 28-9. II, 228. — evangelista II, 278. — XII. pontifex maximus, Narniensis II, 279.  
*Ionium* (mare) II, 180.  
*Itala tellus* II, 265.  
*Itali* II, 265.  
*Italia* I, 6, 32. II, 17, 171, 265, 277.  
*Italus* II, 171.  
*Iudaei* II, 321.  
*Iuno* I, 9.  
*Iuppiter* I, 14-15 (*bis*), 59-60, 69 (*bis*), 110-11.  
*Iuvenalis* I, 37, 40. II, 84, 98, 156-57, 176-77, 178 (*bis*), 183, 185, 208, 210, 215, 224, 247.  
*Labeo* II, 226-27.  
*Labeones* II, 227.  
*Lacedaemon* II, 181.  
*Lactantius* II, 240, 251.  
*Latina* I, 30. II, 94, 134, 241-42, 271.  
   — exempla II, 200 (*bis*). — verba II, 274. — vocabula II, 270.

- Latina* lingua I, 4, 34, II, 25, 42, 74, 93, 156, 228-29, 238, 240, 255, 257-58, 274.  
*Latinae* litterae II, 239-40.  
*Latine* II, 31, 45, 48, 64, 94, 242, 275.  
*Latini* I, 3, 18, II, 47, 64, 104, 106, 109, 136, 189, 200 (*bis*), 237 (*bis*), 240-41, 243-44, 245 (*bis*), 251, 257. — libri II, 257, 319.  
*Latinissimus* homo II, 26.  
*Latinitas* II, 26, 47 (*bis*), 48, 58, 127, 174, 230-31.  
*Latinum* I, 30. — nomen II, 47.  
*Latinus* II, 200.  
*Latium* I, 6.  
*Lavina* litora II, 265.  
*Lavinium* I, 15.  
*Liguria* II, 171.  
*Ligus* II, 171.  
*Livius* II, 82, 211, 246.  
*Loth* II, 130.  
*Lucanus* I, 17, II, 63, 65, 114, 180, 203, 212, 244, 262, 264.  
*Lucinus*, Philippus II, 5.  
*Lucretius* II, 122, 162, 165, 182, 187, 193, 203, 212, 219, 248.  
*Luna* II, 59-61, 110.  
*Lysippus* II, 332.  
*Maccr* II, 249.  
*Macrobius* II, 73-74, 108, 110, 240.  
*Maconia* mitra I, 35.  
*Malchinus* II, 153-54.  
*Manilia* lex II, 317.  
*Manilius* II, 64, 196, 206, 226.  
*Mantua* I, 11 (*bis*).  
*Mantuanus* auctor (v. Vergilius) II, 74.  
*Mars* II, 59-61, 110.  
*Martialis* II, 136, 154, 216, 222, 278, 291.  
*Martianus* Capella II, 112-13.  
*Martius* Narniensis, Galeottus D, t., 4 (*bis*), 5, 6 (*bis*). I, t. II, t., 1, 4, 17, 21, 26, 29 (*bis*), 90-91, 141, 228.  
*Mafias* rex Hungariae D, 14.  
*Mediolanum* II, 308.  
*Menander* II, 246.  
*Mercurius* II, 59-61, 110-11, 133.  
*Metamorphoses* (Ovidii) II, 181, 263.  
*Minerva* (v. Pallas) II, 66.  
*Mnemosyne* II, 107.  
*Motossus* pes II, 121.  
*Morandus*, Benedictus II, 6.  
*Musa* (v. Camena) II, 107, 125.  
*Musae* (v. Camenae) I, 11, II, 109, 112, 136.  
*Mutuscae* I, 11.  
*Nar* flumen II, 286.  
*Narnia* (v. Nequinum) II, 172, 281, 291 (*bis*).  
*Narniensis* II, 285.  
*Narniensis* II, 172. — Iohannes XII. pontifex maximus II, 279. — Mar-  
tius, Galeottus D, t., 4, II, t., 276.  
— Taddeus iuriconsultus II, 284.  
*Neapolis* II, 172.  
*Neapolitanus* II, 172.  
*Nequinas* II, 276.  
*Nequinum* (v. Narnia) II, 290 (*bis*), 291.  
*Nerva*, L. Cocceius, legatus Octaviani Augusti II, 278. — M. Cocceius imperator II, 278 (*bis*).  
*Nonius* Marcellus II, 158, 240.  
*Octavianus*, v. Augustus.  
*Odyssea* II, 52.  
*Oedipodes* II, 178.  
*Orion* II, 233, 235.  
*Orlandus* II, 274.  
*Ophiow* II, 235.  
*Ovidius* I, 23, 39, 44, II, 40, 63, 104, 114, 124, 181-82, 192, 196, 211, 244, 247, 263, 326.  
*Pallas* (v. Minerva) II, 32 (*bis*), 35.  
*Pannonius*, Ianus, episcopus Quinqueecclesiensis II, 229.  
*Paris* II, 195.  
*Parisius*, Albertus I, 1, 3, II, 1, 23.  
*Patavinus* II, 172.  
*Patavium* II, 172, 293.  
*Paulus* iuriconsultus II, 302.  
*Persae* D, 25.  
*Persica* II, 285.  
*Persius* II, 154, 220-21, 224-25, 227, 247, 304.  
*Perusini* II, 285.  
*Petrus* Riarius, v. Riarius  
*Phaenomena* (Arati) II, 73.  
*Philelphianae* Graecae litterae II, 236.  
*Philelphus*, Franciscus D, 4, 6, I, t. II, 1, 3, 4 (*bis*), 7-11, 15, 18-19, 22, 24-26, 27 (*bis*), 30, 33, 36, 57, 60, 66, 74, 79, 90-92, 95 (*bis*), 100, 114-16, 134, 140, 153, 167, 170, 175-76, 179, 197, 210, 229, 231-33, 236-37, 260, 263, 273, 274 (*bis*), 275, 295 (*bis*), 297, 302, 305, 307, 310, 317-18.  
*Philippici* campi II, 314.  
*Philippus* Maria Visconteus I, 47.  
*Phrygius* cantus II, 111.  
*Pietas* II, 331.  
*Findarus* II, 247.  
*Pisandrus* II, 73.  
*Pisautus* II, 246.  
*Pinius* II, 114. — Iunior D, 15, II, 321. — Maior II, 227, 311 (*bis*), 318 (*bis*). — uterque II, 248.  
*Polimnia* (v. Pollemnia, Pollimnia, Pollymnia) I, 39.  
*Po'lemnia* (v. Polimnia) II, 104, 108.  
*Pollentia* I, 11, 31.  
*Pollimnia* (v. Polimnia) I, 39, II, 89, 103, 111, (*bis*), 113, 121/122, 124 (*bis*), 130.  
*Pollymnia* (v. Polimnia) II, 118 (*bis*).

- Polycletus* II, 95, 99.  
*Polydorus* II, 95-96.  
*Πολύμνια* II, 131.  
*Polyphemus* II, 95, 97.  
*Polyxena* II, 95, 98.  
*Porceius* II, 281, 329.  
*Praeneste* II, 40 (bis).  
*Priscianus* I, 26 (bis). II, 38, 149 (ter),  
 150, 158, 210, 218, 221, 223, 226, 240,  
 247.  
*Probus*, Valerius II, 240.  
*Propertius* I, 24, 42. II, 247, 262 (bis),  
 265.  
*Proteus* II, 130.  
*Ptolemaeus*. Claudius. philosophus  
 Alexandrinus II, 64, 67-68.  
*Publius* II, 222.  
*Pythagoras* II, 20.  
*Quinquecclesiensis* episcopus, Ianus  
 Pannonius II, 229.  
*Quintilianus* II, 82, 116, 268.  
*Remedium* (Ovidii) II, 182.  
*Rhodopeiae* arces II, 180.  
*Rhodus* II, 332.  
*Riarius*. Petrus, cardinalis titulo  
 Sancti Xisti D, t., 25.  
*Roma* II, 56 (bis), 172, 278, 313. —  
 Constantinopolitana II, 93.  
*Romana* cadavera I, 21. II, 144.  
*Romana* res publica II, 278.  
*Romanae* historiae II, 274.  
*Romani* II, 280.  
*Romanus* II, 172. — populus II, 214.  
*Rutulii* II, 145.  
*Sabinia* II, 171.  
*Sabinus* II, 171.  
*Saena* II, 172.  
*Saenensis* II, 172.  
*Sallustius* II, 246.  
*Samus* II, 181.  
*Saturnalia* (Macrobiani) II, 73.  
*Saturnius* circulus II, 112.  
*Saturnus* II, 59-60, 110-12.  
*Scipiadus* II, 47.  
*Seneca* Cordubensis II, 248.  
*Servius* I, 36. II, 41, 68-69, 70 (bis),  
 72, 235, 238.  
*Sfortia* (v. Fortia) Franciscus D, 4,  
 I, 1, 6. II, 336.  
*Sfortiades* (v. Sfortias) I, 1, 3. II, 4,  
 29, 38 (ter), 55, 78, 238.  
*Sfortias* (Philelphi) I, 44. II, 35, 89.  
*Sicula* aula II, 208.  
*Sidon* II, 259-60.  
*Sidonia* (urbs) II, 259.  
*Silius* Italicus I, 11, 21. II, 141, 144.  
*Simois* II, 180.  
*Sinon* II, 73.  
*Smyrnaea* plectra I, 11.  
*Sol* II, 59-60, 110.  
*Sophocles* II, 249.  
*Spoletanus* II, 172. — episcopus, Be-  
 rardus cardinalis II, 233.  
*Spoletum* II, 172.  
*Stadius* I, 6, 17. II, 34-35, 56 (bis), 63,  
 204.  
*Syrisca* copa I, 38.  
*Taddeus*, v. Narniensis.  
*Tarquinius* II, 211.  
*Tarquinius* Priscus II, 311.  
*Terentius* II, 42-43, 187, 246.  
*Τεραρχία* II, 131.  
*Tertullianus* II, 251.  
*Thalia* II, 107.  
*Thebae* II, 56.  
*Thebe* Tyria II, 56.  
*Theocritus* II, 73 (bis).  
*Thucydides* II, 246.  
*Tibullus* II, 209, 247.  
*Ticinus* I, 20-21. II, 89, 140-42, 144,  
 145 (bis).  
*Troades* II, 227.  
*Troctus* II, 5.  
*Troia* II, 56, 73, 212.  
*Troianus* Antenor II, 293.  
*Tuscia* II, 171.  
*Tuscus* II, 171.  
*Tuticanus* II, 214.  
*Tyria* Thebe II, 56.  
*Tyrii* II, 212.  
*Umbria* II, 171.  
*Umbria* II, 171.  
*Urania* II, 110.  
*Valerius* Probus, v. Probus, Valerius.  
*Vallensis*, Laurentius II, 6.  
*Varro*, Terentius II, 249.  
*Vaticani* cadi II, 216.  
*Vaticanus* II, 214-15. — mons II,  
 214-15.  
*Veneta* civitas II, 172.  
*Veneti* I, 22.  
*Venetia* II, 171-72.  
*Venetianus* II, 172.  
*Venetiensis* II, 172.  
*Venetinus* II, 172.  
*Venetius* II, 172.  
*Venetus* II, 170, 171 (bis). — exerci-  
 tus II, 167.  
*Venus* (v. Cytherea) I, 14-15, 16 (qua-  
 ter). II, 59-60, 69, 71, 110.  
*Vergilius* (v. Mantuanus auctor) I, 8,  
 13, 35, 38. II, 38, 40, 42, 44, 50 (bis),  
 56 (bis), 63, 73-78, 96, 114, 122, 132  
 (bis), 143, 180-82, 184-86, 188, 190-91,  
 195 (bis), 202-05, 206 (bis), 209,  
 212, 227, 233, 244, 246, 259, 263,  
 265-67, 286.  
*Verona* I, 11, 31, II, 172.  
*Veronensis* II, 172.  
*Vitruvius* II, 51.  
*Zoilus* (Homeromastix) II, 52.  
*Xistus*, Sanctus D, t., 25.

7

# BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ.

## SAECULA XII—XIII.

*P. magister*, quondam Bele regis Hungarie notarius, Gesta Hungarorum ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 5,40

## SAECULA XIV—XV.

*Barbarus*, Candianus — *Barbara*, Constantia, nata Memo — *Barbarus* Maior, Zacharias. Testamenta ed. Gothein. 1933. (Excuditur.)  
*Trevisanus* Maior, Zacharias, Orationes et testamentum edd. Bertalot — Gothein. 1933. (Excuditur.)

## SAECULUM XV.

*Barbarus*, Franciscus, Epistolae ed. Gothein. 1934. (Apparebit.)  
— Orationes. Accedunt orationes Gasparini Barzizii et Matthaei Bissarii et Ambrosii de Advocatis et Tobiae Burgi et Iohannis Spillimbergensis ad Franciscum Barbarum habitae ed. Gothein. 1933. (Excuditur.)  
*Barius* Nicolaus — *Kostolan*, Georgius Polycarpus de — *Hungarus*, Simon — *Zagabriensis*, Georgius Augustinus, Reliquiae ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 1,50  
*Gallimachus* Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia ed. Kardos. 1932. — — — — — RM. 1,70  
*Martius*, Galeottus, Carmina ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 1,80  
— De dictis ac factis regis Mathiae ed. Juhász. 1933. (Excuditur.)  
— Epistolae ed. Juhász. 1930. — — — — — RM. 1,—  
— Invectivae in Franciscum Philelphum ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 2,50  
*Pannonius*, Ianus, Opera ed. Huszti. 1933. (Apparebit.)  
*Philelphus*, Franciscus, Sphortias edd. Fögel—Juhász. 1933. (Excuditur.)  
*Ransanus*, Petrus, Epitoma rerum Hungararum ed. Juhász. 1933. (Excuditur.)  
*Seneca*, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum ed. Fögel. 1932. — — — — — RM. 3,60  
*Valagussa*, Georgius, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)  
*Vitez* de Zredna, Iohannes, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)  
— Orationes ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)

## SAECULA XV—XVI.

*Celtis*, Protucius, Conradus, Amorum libri IV. ed. Pindter. 1933. (Excuditur.)  
— Ludus Dianae — Rhapsodia ed. Rupprich. 1933. (Excuditur.)  
— Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus ed. Rupprich. 1932. — — — — — RM. 1,30  
*Fontius*, Bartholomaeus, Carmina edd. Fögel—Juhász. 1932. — — — — — RM. 2,—  
— Epistolarum libri III. ed. Juhász. 1931. — — — — — RM. 4,50  
*Piso*, Iacobus, Opera ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)  
*Verinus*, UgoLinus, Carlus edd. Fögel—Juhász. 1933. (Apparebit.)  
— Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracene Baetidos gloriosa expugnatione edd. Fögel—Juhász. 1933. (Excuditur.)

---

PRETIUM HUIUS VOLUMINIS RM. 2,50